



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso


Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



Digitized by Google

KW 370
943


QVÆSTIONES

E T

A P H O R I S M I

E X

IVRISPRVDENTIA NATVRALI.



TRAJECTI ad RHENVM,
apud ABRAH. a PADDENBVRG,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHVM.
MDCCCLXXXI.

Q V A E S T I O N E S

E X

IVRISPRVDENTIA NATVRALI

I.

Jus Naturæ latiorem apud nonnullos, stri-
ctiorem apud alios habet significationem.
Sunt, qui complexionem legum Naturalium
quarumvis eo nomine intelligent. Ita, non
numquam, hanc appellationem adhibuerunt
ICTi Romani: sic Grotius, Pufendorfius,
Heineccius, Wolfius, Marckius, alii, hoc
nomine usi sunt. Alii vero, solas leges na-
turales perfectas ad *Jus Naturæ*; imperfe-
ctas, ad Ethicam referunt, uti Gundlingius,
Achenwalkus, Pestelius, atque Schroederus,
Viri Clariss. — Quemadmodum posterior
denominatio & acceptio propria est & doctri-
næ curate tradendæ utilis; ita tamen prior il-
la prorsus spernenda non videtur, dum ne-
gari nequit, quasvis humanæ felicitatis regu-
las esse leges; legum vero complexio recte
Jus dicitur.

I I.

Est autem vera quidem & æternâ tam justi-

A

at-

atque injusti, quam justi & æqui differentia: non ea tamen, quam ponit Heinecc., Elem. Jur. Nat. & Gent. L. I. §. 9., ac si Deus ipse quasdam actiones sine coactione; quasdam, sub comminatione poenæ, vel proposito præmio, præcepisset aut prohibuisset: etenim Dei respectu omnia officia perfecta sunt; omnia sanctiōne poenali munita.

I I I.

Sed inter homines necessarium est atque perpetuum inter jus perfectum & imperfēctum, sive externum & internum, discri- men: in eo positum, quod ad alias actiones vi cogi possimus, ad alias, nequaquam.

I V.

In his vero, quæ nemo vi potest a nobis exigere, multum quoque refert, rectam agendi normam sequi; atque id curare, cum ut ipsi nostram per nostras actiones felicitatem moveamus; tum Divinam gloriam il lustremus.

V.

Quippe nullæ dantur actiones indifferentes; — & datur in omnibus agendi certa norma. — Datur ergo Ius Naturæ, tam latiore, quam strictiore significatu: nec male

le tamen dicitur, utilitatem honesti matrem esse, non vero honesti judicem: sed ipsum, honestum esse indicem judicemque utilitatis: id, quod egregie docuit Clariss. Io. Matth. Gesner. in Praefat. Isagoges ad Eruditionem Universal.

V I.

Obligatio dispesci potest in activam, quæ est ipsa connexio motivi cum actione libera: & in passivam, quæ est necessitas moralis aliquid agendi vel omittendi.

V I I.

Hæc utique nascitur ex entis intelligentis, a nobis diversi, cui parere necesse est, voluntate: sed sic obligati jam sumus ad ejus voluntatem observandam. Hæc autem obligatio parendi nascitur haut dubie ex relatione mutua. Sic vera, ubicumque nexus est inter felicitatem nostram & ipsam, de qua queritur, actionem, illuc adest obligatio, dummodo nexus illum perspicere valerimus. Adeoque, ubi nexus ille perspicitur absque cognita voluntate superioris, æque obligamur, ac si eam cognovérimus.

V I I I.

Datur ergo & moralitas & obligatio inter-

A 2

na,

(4)

na, objectiva, naturalis, essentialis, materialis; quæ tamen ipsa semper imperfecta est.

I X.

Sed si proxime nascatur obligatio ex voluntate legitimi imperantis, sive Dei, sive hominis; tunc ipsi jus est alterum obligandi: *jus* ergo correlatum non est obligationis internæ, ut Heineccius existimat, in Elem. I. N. & G. I. §. 7.; sed tantum obligationis externæ, quæ & formalis, subiectiva, positiva dici potest; eaque demum perfecta est.

X.

Neque vero nascitur hæc obligatio externa ex facto Imperantibus, pœnam cum actione neglectentis; sed ex ipsa voluntatis, quam habet Imperans, cognitione: ratio vero, cur illa voluntas, mox postquam innotuit, obliget, est ipsa Principem inter ac subditos relationis, quæ, a parte subditorum, dependencia dici solet.

X I.

Hæc inter homines Deumque, & parentes liberosque naturalis est; reliquos inter homines ex consensu pactoque nascitur, vel ex lege positiva.

XII.

(5)

X I I.

Sequitur ex §. X., 1. Legis vim obligantem a promulgatione pendere. 2. legem obligare, quamvis addita non sit aliqua sanctio pœnalis. 3. non propter pœnam, sed propter agnatum jus Imperantis, obtemperandum esse legi.

X I I I.

Naturalis illa Deum inter Creatorem, hominesque creatos, relatio facit, ut Deo jus sit, homini leges præscribendi.

X I V.

Neque ergo fundamentum hujus juris in sola virium aut naturæ summi Numinis excellentia ponendum est; neque necesse est, ad illud intelligendum, Dei summam sapientiam, bonitatem, atque potentiam simul ob oculos habere, quod voluit Hubner dans son *Essai sur l'Histoire du Droit Naturel*, Part. II. p. 359.

X V.

Neque etiam sensus aliquis moralis hoc fundamentum constituit.

X V I.

Cujusmodi sensus neque hic, neque alibi

A 3

in

(6)

in jure Naturæ, vel in Ethica, veram obligationem inducere valet.

X V I I.

Nihil enim est aliud, nisi obscura confusione justi & injusti cognitio; ut recte censet Hollmannus in Præf. ad prim. lin. Ethic. p. 15,

X V I I I.

Nihilominus habet & homo suos quosdam instinctus naturales, quos recte sequetur; sed quinam sint ejusmodi, rationis est, definire.

X I X.

Neque soli instinctus Ius Naturæ vel Ethicam docere possunt.

X X.

Rejiciendā ergo est Vlpiani definitio Juris Naturæ, in l. i. §. 3. D. de Iust. & Iure, quæ quidem excusari potest in ICto, Stoïcorum inbuto præceptis ac principiis, ex quibus est illustranda (vid. Buddei Exerc. I. de Errorib. Stoic. §. 6. in Analect. Hist. Philos. p. 101.): non potest in Hommelio, Schmaußfoque. (Conf. ejusdem Buddei Exerc. de Scepticismo Morali, §. 15. & 32. in iisdem Analectis, p. 227. & 253.)

XXI.

(7)

X X I.

Ius Naturæ cum sit omnibus hominibus commune, non potest non & inter omnes obtinere gentes, easque obligare: recte ergo Ius Gentium dicitur ipsum esse Naturæ Ius, quatenus hoc inter populos liberos locum habet.

X X I I.

Præterea vero multa inter populos observanda esse, quæ quidem ex ipsa populorum hominumque natura derivari non possint immediate, certum est: ea tamen omnia recte referuntur ad pacta, sive expressa, quæ Fœdera dicuntur, sive tacita, qualia per solam consuetudinem diu observatam induci possunt.

X X I I I.

Quum autem pacta suam ex Iure Naturæ vim obligandi habeant, nihil necesse videtur, aliam atque diversam Iuris Gentium, sive voluntarii, sive Pactitii, sive Particularis, sive Consuetudinarii, sive Practici, disciplinam constituere: quamvis aliter alii censeant; in primis etiam Clariss. Godofr. Achenwallus in Iuris Gentium Europæarum Practici primis lineis, editis Gottingæ, 1775., 8vo.

(8)

X X I V.

Leges Naturales adeo sunt immutabiles ,
ut nec ipse Deus eas tollere , vel ab illis
dispensare possit.

X X V.

Dubiæ quoque non sunt , sed certæ & evi-
dentes.

X X V I.

Fieri tamen potest , ut actiones non nullæ
singulares , per legem naturalem alias præ-
ceptæ sint , alias vetitæ , pro diversa rerum
hoc in orbe conditione : diversaque earum-
dem actionum ad homines ac legem relatio-
ne.

X X V I I.

Verum optime monuit Grotius de I. B.
ac P. L. I. C. i. §. 10. n. 6., sic non Ius
Naturæ mutari ; sed rem , de qua Ius Natu-
ræ constituit , quæque mutationem recipit : ---
sive , ut scribit ibid. n. 7., esse quædam juris
naturalis non simpliciter , sed pro certo rerum
statu . --- Simili sensu dici potest , aliud esse
Ius Naturæ absolutum , aliud Hypotheticum.

X X V I I I.

Sic non omnis omnino cædes hominis , po-
ly.

(9 .)

lygamia, nuptiae patrum sororumque, rerum alienarum contrectatio, rel., semper & ubique vetita sunt. Atque ita intelligenda sunt, quæ Cl. Michaëlis monuit, in Syntagm. Commentatt. P. II. p. 154. sq.

X X - I X .

Nulla sunt homini principia practica innata.

X X X .

Intelligentia (intellectus) & voluntas neque reapse inter se, neque a mente sunt distincta : sed optime tamen uti distincta considerantur : neque cum G. G. Titio (ad Pufend. de Off. hom. & civ. L. I. C. I. §. 3.) dicendum est, „ his nominibus non indicari „ duas distinctas facultates, sed potius ean- „ dem facultatem, rel.”

X X X I .

Iudicium intelligentiae inest, non voluntati: dissentiente quamvis Barbeiraciō ad Pufend. de Off. hom. & Civ. L. I. C. I. §. 4.

X X X I I .

Voluntas intellectum sequitur: sponte qui-
dem & libere: sed absque indifferentia.

A 5

XXXIII.

(10)

X X X I I I.

Neque vis externa voluntatem sua privat libertate, neque affectus, consuetudo, aut indoles nativa (temperamentum.)

X X X I V.

Affectus, in se spectati, minime mali sunt, aut extirpandi; sed hominibus utilissimi ac necessarii.

X X X V.

Indolem nativam homines & corrigere multum possunt, & ei resistere.

X X X V I.

Inutilis est distinctio voluntatis in antecedentem & consequentem: imo noxiā quoque, si referatur ad Deum.

X X X V I I.

Cuivis homini *Conscientia* inest, hoc est, animi propensio quædam ad actiones suas liberas contemplandas, easque cum regulis felicitatis conferendas: quæ quidem aliquamdiu consopiri potest, tolli non potest. v. Pestel., V. Cl., Fund. Iurispr. Nat. §. 53. 55.

(ii)

X X X V I I I.

Nec minus recte Conscientia dicitur argumentatio de propriarum actionum moralitate, seu consensu pugnave cum legibus.

X X X I X.

Conscientia qualiscumque non potest actionum humanarum esse norma: sed certa & recta conscientia sequenda semper est.

X L.

Nihilominus & ille peccat, qui conscientiae erranti morem non gerit: (errare enim conscientiam posse certum est). --- Negant illud Buddeus diff. de Scepticismo Morali §. 15. 32. (in Analect. Hist. Philos. §. 229. & 258.) & Instit. Theol. Mor. P. II. C. I. §. 25. p. 383. sq. & Heineccius Elem. I. N. & G. L. I. §. 45. Schol.

X L I.

Dubitante conscientia (si qua datur), qui-
escendum est, ac praesens status continuandus. Dissentit Titius ad Pufend. de Off. hom.
& Civ. L. I. C. I. §. 6. n. 3. (3). Sed Vid.
Budd. Inst. Theol. Mor. l. c. p. 384.

XLII

(12)

X L I I.

Scrupulosæ conscientiæ jura videntur eadem esse, quæ dubiæ teneræque.

X L I I I.

Probabilis conscientia sequenda est, quando certitudo nequit haberi: minime tamen probabilis est putanda, quæ qualicumque ratione, vel unius auctoritate doctoris nititur.

X L I V.

Leges Naturales adeo sunt ad felicitatem necessariæ, ut neque hanc adsequi licet, nisi illis observatis: neque haec deficere possit, illis observatis.

X L V.

Nempe Legis Naturæ præceptum est, ut, si quid alio, quam per rationem, modo Deus hominem facere jubeat vetetve; faciat hoc homo, vel omittat.

X L V I.

Potest quippe Deus homini leges quoque positivas præscribere.

X L V I I.

Qualis erat illa, ne quis arboris scientiæ boni malique fructum comederet.

X L V I I I.

(13)

X L V I I I.

Hac violata, non possunt amplius homines plenam sibi perfectamque felicitatem naturæ suæ viribus conciliare.

X L I X.

Quatenus tamen legi naturali congruunt eorum actiones, eadem ratione crescit felicitas.

L.

Ad plenam vero, perfectam, ac sempiternam beatitudinem via, nisi per novam legem Divinam positivam, innotescere non potest.

L I.

Divina voluntas recte dicitur esse norma actionum humanarum.

L I I.

Neque tamen arbitrarias, sed rerum hominumque suæque naturæ congruas leges Deus promulgare potuit debuitque.

L I I I.

Si quæratur, utrum Deus universo hominum generi leges dederit positivas, triplex quæstionis sensus est distinguendus.

L I V.

L I V.

I. Dedit aliquando Deus leges ejusmodi,
quæ certæ tantum ætatis omnes homines obli-
garent.

L V.

Hujusmodi fuerunt 1. Lex de non come-
dendo fructu arboris scientiæ boni malique.

L V I.

Quæ cum violari nunc non possit, legis
vim perdidit.

L V I I.

Neque tamen ita negatur, ab unoquoque
homine violatam hanc esse legem, ideoque
omnes ac singulos ejus legis sanctioni jacere
obnoxios.

L V I I I.

2. Talis erat lex de faerando Numini Di-
vino, piisque meditationibus, die quolibet
septimo.

L I X.

Cessavit autem haec lex, postquam Christus humanam in vitam rediit; a quo tempo-
re primum quemque de septem diebus esse
rei divinæ dicandum, divinâ quoque voluntate constitutum esse videtur.

L X.

(15)

L X.

Eamdem ob caussam, eodemque tempore
ruere quoque debuit lex *tertia*, de sacrificiis
obferendis.

L X I.

Nec non *quarta*, de discriminē munda
inter atque immunda animalia observando.

L X I I.

Similes fuerunt illae leges, quas Noacho
datas esse constat, sic ut haec in classe *qui-*
tam fuisse ponere liceat, ne quis carnem e-
deret cum sanguine, hoc est, ut abstinere-
tur tam a suffocato, quam a sanguine come-
dendo, bibendove.

L X I I I.

Debuit eadem lex aliquamdiu & inter Chri-
stianos observari: debere etiamnum, non
constat.

L X I V.

6. Similiſ erat, denique, lex, ut a quo-
vis homine occideretur tam pecus, quam
homo, a quo patratum fuisset homicidium.

L X V.

Debuit enim haec lex cessare post consti-
tutione imperii Romanorum, cum deob tutos

(16)

tutos imperantes ac magistratus , homicidii vindices.

L X V I.

II. Nullas dedit Deus umquam leges positivas , quæ omnes homines omnis temporis ac loci obstringant , sed non alios , nisi , quibus innotescant.

L X V I I.

Ejusmodi leges dari nullas , cum 1. ex earum descriptione patet ; tum 2. ex his , quæ referri possint ad hanc classem , exemplis.

L X V I I I.

1. Descriptio vitiosa est in eo , a. quod ponat , eos non obligari , quibus non innotescant leges , sive horum ignorantia voluntaria fuerit ac vinci potuerit , sive minus.

L X I X.

b. In eo fallit hæc descriptio , quod ponat , Deum leges promulgare , hominibus utiles , quas tamen haut promulgaverit illis omnibus , quibus utiles erant.

L X X.

2. Exempla , quæ hæc referunt , & sic describi debeant , nulla sunt : neque enim vel a. lex

a. lex de fiducia in Dei hominumque Mediatorem collocanda, huc pertinet; sed ad aliam classem, de qua deinceps.

L X X I.

b. Neque talia sunt præcepta Noachica septem, quæ dicuntur: hæc enim a. non constat satis, Noacho, vel Adamo, vel utriusque, fuisse promulgata. b. Non sunt omnia, quæ his continentur, positiva. c. Neque, quatenus positiva sunt, universos, quibus innotescant, obstringunt.

L X X I I.

c. Neque illud de Decalogo dicendum est, qui a. neque præcepta continet omnia positiva. b. Neque talia, quæ tum demum obligent, postquam innotuerint. c. Neque ideo promulgatus est, ut ex ea promulgatione tenerentur omnes.

L X X I I I.

d. Leges de incestu, Levit. XVIII. & XX. obviæ, positivæ universales non sunt.

L X X I V.

e. Neque polygynia per ejusmodi legem prohibita fuit.

B

LXXV.

L X X V.

f. Neque etiam divertia sic interdicta fuerunt.

L X X V I.

III. Dantur Leges positivæ universales, quæ, postquam humaanum genus ab integritate pristina lapsum est, omnes obligant, omnis ætatis ac loci homines.

L X X V I I.

Hæ duæ sunt: 1. Ut in Societate conjugali, si dissentiant opinione maritus & uxor, hæc illi se submittat.

L X X V I I I.

2. Ne quis divini numinis favorem ipse suis factis mereri velit; sed omnem plenæ perfectæque felicitatis spem atque fiduciam in divinum hominem, hominum Deique conciliatorem, reponat.

L X X I X.

Hic Mediator ipse postquam humana carne vestitus vixit, & omnia, quæ debuerant mortales, in terris peregit, paucas denuo sanxit leges ad *primum* positivarum universalium classem (§. LIV.) pertinentes.

LXXX.

(19)

L X X X.

Jussit, scilicet, i. ut simul in memoriam mortis a se superaret, jurisque vivendi recuperati, primus quisque septenorum dierum sacer esset, Deoque dicatus (§. LIX.).

L X X X I.

2. Ut mortis, quam vicarius ipse pro peccatoribus passus erat, memoriam affectus sui servarent in sacra cœna.

L X X X I I.

3. Ut se suosque infantes aquis baptismi tingi patientur, quotquot ipsum unicam veræ salutis causam agnoscunt.

L X X X I I I.

Leges divinæ promulgatae sunt omnibus, quos obligant; naturales, per rationem; positivæ, per revelationem.

L X X X I V.

Hac si quis destituatur, ipse sibi debet imputare.

L X X X V.

Pro majore tamen ignorantia, & minore

B a hanc

(20)

hanc superandi obopportunitate, pœnæ divinæ mitiores erunt. (§. CXLII.).

L X X X V I.

Datur aliquod Ethices universæ, sive Iurisprudentiæ Naturalis, cognoscendæ principium unicum, verum, evidens, adæquatum.

L X X X V I I.

Principium illud hoc modo recte enunciatur: *harmoniam observa inter causas actionum tuarum efficientes ac fines divinos.*

L X X X V I I I.

Verbis magis, quam re, discrepant, qui naturæ (sano sensu) convenienter vivendum, se perficiendum, ordinem universi sequendum & observandum esse, præcipiunt.

L X X X X I X.

Satis etiam convenit nobis cum Grotio in operis æterni Proleg., §. 7. in fin., & L. I. C. i. §. 10. n. 1., & cum Cl. Pestelio, in Fundam. Jurisprud. Nat. §. 247. — minus autem cum Pufendorfii, socialitate; vel Heineccii, Amore.

XC.

(21)

X C.

Nihil necesse non tantum, sed & vitiosum est, dupli officiorum, perfectorum & imperfectorum, generi duplex atque diversum, quodque sibi possit obpositum esse, vel facile videri, tribuere principium, & hæc tantum ex lege perfectionis, illa ex præcepto, *suum cuique tribue*, derivare.

X C I.

Debet enim utrumque genus officiorum ex eodem fonte deduci, neque fieri potest, ut leges naturales invicem umquam sibi, vel imperfecta officia perfectis repugnant.

X C II.

Principium existendi legibus naturalibus dedit divina voluntas.

X C III.

Hæc etiam efficit, ut obligatio legum naturalium evadat externa (§. IX.).

X C IV.

Consensus gentium in aliquam rem vel opinionem, jus naturæ, aut jus gentium efficerre non potest.

B 3

XCV.

XCV.

In enunciandis legibus naturalibus ad statum integritatis esse respiciendum, minus absurdum fuit opinio Valentini Alberti, quam visa est Pufendorfio, Thomasio, & Heinecio in Elem. Iur. N. & G. L, I, §. 74.

XCVI.

Ex uno, quod §. LXXXVII. positum est, principio: „Caūssas inter actionum nostrorum divinosque fines observandam harmoniam” : officia erga Deum, se, hominesque reliquos omnia derivari facile possunt.

XCVII.

Ex eodem, utrumque, tam perfectorum, quam imperfectorum officiorum genus recte deduci potest.

XCVIII.

Est igitur illud adæquatum: estque verum, evidens, primum, unicum,

XCIX.

Quin & ceterarum rerum creatarum respectu quæ sunt officia facienda, profluyunt ex eodem fonte.

C.

(23)

C.

Neque vel Angelorum , si quos existere novimus, vel brutorum animalium, vel rerum inanimatarum ratione, perinde est, quomodo nos geramus.

C I.

Neque tamen animantia bruta, cibi causa, occidere non licet.

C II.

Leges naturales omnes præmiorum promissione, pœnarumque sanctione munitæ sunt.

C III.

Præmiorum scilicet, atque pœnarum naturalem: positiva enim præmia nemo nunc suis actionibus apud Deum mereri potest.

C IV.

Interpretationis adminiculo proprio non indigent leges naturales: illud tantum opera danda est, ut preesse curateque enuncientur, ac demonstrentur.

C V.

Est autem interpretationis ars maxime necessaria,

B 4

(24)

cessaria in intelligendis adhibendisque legibus
humanis, promissionibus, pactis, fœderibus.

C VI.

Lubrica distinctio est inter favorabilia &
odiosa, neque adeo certa hermeneutices re-
gula, quæ illa late, hæc stricte interpretari
præcipit.

C VII.

Aliud est mens, aliud ratio legis.

C VIII.

Interpretatio usualis ad authenticam referri
recte potest, tamquam hujus species,

C IX.

Insuperabilis, involuntarius, inculpabilis,
error nullus est, neque ignorantia ejusmodi,
in re morali.

C X.

Duplicē pœna peccantes ebrios adfici, mi-
nus æquum est.

C XI.

Actiones coactæ recte ad pœnam imputan-
tur, & obligatio nascitur ex promissionibus,
me-

(25)

inetu extortis: neque distinguendum est inter vim justam & injustam; neque inter metum levem aut gravem.

CXII.

Neque imputationem tollit indoles nativa, consuetudo, vel affectus.

CXIII.

Stoïcorum doctrina de affectibus vulgo minus intellecta, & hinc magis culpata fuit, quam oportuerat: neque exstirpandi sunt affectus omnes, quod ne fieri quidem potest, neque reprehendendi; sed ratione regendi.
(§. XXXIV.).

CXIV.

Officia Christiana eadem sunt, quæ naturalia: præterquam quod de baptismo, sacra Cœna, & die dominico leges Christus positivas dederit: & alia sint Christianis, quam reliquis hominibus agendi momenta.

CXV.

Si non dantur Athei, necesse non est, ut probetur, existere Deum.

CXVI.

Atheos fuisse Theoreticos, & etiamnunc
B s esse

(26)

esse quosdam , dubium non magis est , quam
fuisse , qui se ipsi occiderint . vid . *De Opmer-*
ker Serm. 177 . Vol . IV . p . 161 . sqq .

C XVII .

Integras vero gentes atheas esse , vel um-
quam fuisse , credi non potest .

C XVIII .

Hinc merito dicitur humanum genus con-
sentire in agnoscenda Dei exsistentia .

C XIX .

Crediderunt nempe , creduntque omnes
homines , paucis exceptis , esse caussam
quandam intelligentem , mundi opificem , at-
que rectricem a qua poenae malis metuendæ
sint actionibus & hominibus : præmia speran-
da bonis .

C XX .

Eaque fides ad civitatis uniuscuiusque sa-
lutem necessaria est .

C XXI .

Hinc non optimus sane civis erit atheus ,
quamvis eo forte sensu bonus dici possit esse
civis , in quantum neminem lædit , & aliquid
confert ad civitatis emolumentum .

C XXII .

(27)

C XXII.

Absurde quæritur, utrum atheus populus præstantior habendus sit superstitione: quod si tamen uterque fingatur existere, minus miser hic fore videtur.

C XXIII.

Atheos pœnis eoëreeri, nec utile, nec justum est: prohiberi vero, quo minus aliis opinionem suam persuadere conentur, & hoc ne faciant, eos etiam cogi, boni publici caussa jubet.

C XXIV.

Poterunt igitur athei vel aliquando justæ civitate pelli, vel pœnis ac multis coërceri, vel carcere includi, vel ipsa morte puniri, si civitati nocuerint, vel si satis certum ab ipsis inminere periculum judicent hi, quorum ea de re judicandi potestas est.

C XXV.

Blasphemos etiam pœnis coërceri civilibus, injustum non est: neque vituperandi sunt admodum, sed excusandi potius, etiam illius, quo factum fuit, ævi ratione habita, qui Michaëlem Servetum flammis dederunt ultricibus.

C XXVI.

(28 .)

C XXVI.

Argumentum a consensu gentium pro Dei existentia, neque omni exceptione majus est, neque nullam tamen vim habet.

C XXVII.

Neque enim temere consentire putandum est humanum genus in aliquem errorem: neque temere rejiciendum est, quod omnes verum esse credunt.

C XXVIII.

Et ad hanc argumentationis ab universalis consensu vim perinde est, sive haec persuasio putetur a facili Divinæ mentis agnitione ex rebus creatis & existentibus, sive a perpetua traditione, originem habere.

C XXIX.

Nihilominus utramque caussam simul huncce consensum effecisse, credibile est.

C XXX.

Neque enim credendum est, diu genus humanum absque ulla Dei agnitione cultaque vixisse: Deique majestatem ab otiosis demum philosophis post longum saeculorum

an-

(29)

annorumve decursum ratiocinando detectam
esse.

C XXXI.

Nimirum, inesse hominum animis aliquam
ad agnoscendum metuendumque Deum pro-
clivitatem, concedendum est.

C XXXII.

Ipsam vero Dei notionem omnium menti-
bus innatam esse, non alio sensu, quam qui
§. præced. traditus est, adserendum videtur.

C XXXIII.

Neque ergo magnam persuadendi vim in-
esse putaverim argumento pro Dei exsisten-
tia, quod ex idea Dei petitur a posteriori.

C XXXIV.

Quod autem ex ipsa Dei natura sive idea
peti possit a priori pro Dei exsistentia argu-
mentum, hoc validum esse, non negayerim:
ita vero jam propositum esse, ut aptam ad
persuadendum vim & efficaciam habeat, non
putem.

C XXXV.

Neque etiam valida magis, imo & minus,
esse videtur argumentatio Maupertuisii, ex
lege

(30)

lege parsimoniæ, quam natura sequatur; quam si quis ex lege gravitatis, motus, virium electricarum, aliave simili, veritatem hanc, dari Deum, colligendam existimet.

C XXXVI.

Optimum ad existentiam Dei probandam argumentum est, quod ex rerum, quæ sunt, neque necessariæ sunt, existentia deducitur.

C XXXVII.

Neque spernenda quoque argumentatio ex caussis rerum finalibus deponita.

C XXXVIII.

Si Deus est ens summe perfectum, sequitur, illum esse unum, simplicem, æternum, liberrimum, quovis intellectu limitato superiorum, ubique præsentem, omnium gnatrum, sapientissimum, optimum, hinc & justum, & veracem: denique, Deum omnia posse: non tamen ea, quæ ipsa sibi repugnant. De his enim optime Grotius monuit, de Iure B. ac P. L. I. C. I. §. 10. n. 5. „ hæc dici tantum, sensum autem, qui rem exprimat, habere nullum.“

C XXXIX.

Recte Heinecc. Elem. I. N. & G. L. I. §.

127.

127. Schol. „ Mirifice falluntur , qui so-
 „ lam probitatem , vitaque integritatem , to-
 „ tam religionem absolvere sibi persuadent ,
 „ & perinde esse existimant , quid quisque
 „ de Deo & rebus divinis sentiat : rel .”

CXL.

Etenim officii nostri est , & recte de Deo
 sentire , & omnem ab eo perfectionis defe-
 ctum longissime remotum judicare .

CXLI.

Neque ergo excusari possunt aut meren-
 tur , qui vel plures Deos venerati sunt , vel
 affectibus in transversa raptos sibi fixerunt .

CXLII.

Pro majore tamen intellectus emendandi
 facilitate , major est impiorum , errantium ,
 ignorantiumque culpa , majorque pœna divi-
 na metuenda erit (§. LXXXV.) .

CXLIIL

Neque alia homines , nisi plenissima legum
 omnium divinarum observatione , Deo ple-
 ne placere possunt .

CXLIV.

Quanto quisque plura de Deo cognoverit ,
 tanto

tanto plures habet veræ voluptatis caussas.

C XL V.

Et hanc ob rem , & quia nullam , qua
Deo plene placere possimus , viam ratio mon-
strat hominibus , peccatorum semper reis ,
optabile non tantum , sed & probabile est ,
Deum ipsum hanc secum in gratiam rede-
undi semitam mortalibus patefecisse .

C XL VI.

Quod si cui populo , homini , vel homi-
nibus , sui notitiam pleniorum Deus ipse tra-
diderit ; si quis liber adsit , qui hanc conti-
neat ; nihil vero doceat , quod rationi repu-
gnat ; hoc maximum humano generi benefi-
cium existimandum ac grata mente agno-
scendum est .

C XL VII.

Si quæ sint eodem in libro veritates tradi-
tæ , quas ratio sola non perspicit , neque in-
telligit ; legesque datæ ; his omnino fides ha-
benda , obtemperandumque est .

C XL VIII.

Deus amandus est atque colendus omni-
bus viribus , non tantum quia maximus , sed
&

(33)

& quoniam optimus est, in primis his, qui ipsum colunt.

C XLIX.

Imo ne fieri quidem potest, ut nullo nostri respectu Deus a nobis ametur, vel ut ametui supra nos.

C L.

Deo plenissimum animi lubentis obsequium debetur; timor etiam, seu veneratio; ac fiducia: cavendum autem est ab omni superstitione, magia, cultuque divino ejus, quod Deus non est.

C LI.

Gloria Dei curanda promovendaque est: hoc est, & qualibet occasione commoda rectæ de Deo sententiae fovendæ, eloquendæ, tradendæque sunt aliis; & nihil faciendum, quod cum summa Dei veneratione pugnet.

C LII.

Deus & externo cultu prosequendus est; & publico cum ea societate, quæ verissimas opiniones de Deo rebusque divinis profiteretur.

C LIII.

(34)

CLIII.

Precibus etiam & gratiarum actionibus Deus honorandus est privatim ac publice.

CLIV.

Per imagines Deum colendum exhiberi ratio dissuadet ac reprobat.

CLV.

Diem aliquando certum divino cultui seponendum esse , ratio suadet & intelligit ; quotus esse debeat , Deus solus significare potest , & edixit .

CLVI.

Deus Opt. Max. & sapiente consilio mundum effecit , & provida cura gubernat : neque tantum in majoribus rebus & eventis ; sed in minutissimis etiam quibuslibet occupatur divina providentia .

CLVII.

Neque divinae curae , neque justitiae contrarium est , si quando paria contingere videantur improbis atque pii in orbe : neque enim vel pii sunt omnes , qui putantur ; neque adversa fata veram tollunt felicitatem .

CLVIII.

(35)

CLVIII.

Minus necessarium est, ut se quisque amare præcipiatur: neque enim quisquam se potest odire.

CLIX.

Videndum est tantummodo, quid veræ, cui quisque studet, felicitati, congruat: tuperiter enim omnes hac parte solent errare.

CLX.

Cuilibet igitur opera danda est, ut eo modo corpus animumque colat, qui veræ felicitati conveniat.

CLXI.

Hinc in primis unicuique sua vita curanda est ac valetudo: neque mors umquam acceleranda est, quando vita servari potest honeste: nec vita servanda, quando servari non potest honeste.

CLXII.

Numquam ergo vel manu vita finienda est: vel defendenda, quando detrimentum inde redundaret in societatem humanam vel civilem.

C 2

CLXIII.

(36)

CLXIII.

Etenim & is, qui mortem patitur injustam, siue pro patria, siue pro caris amicis (conf. Iohannis Euang. C. 13. §. 37. Epist. I. C. 3. §. 16. & Pauli Epist. ad Rom. C. 16. §. 4.), siue propter veræ religionis apertam confessionem, ubi hæc utilis esse potest, veram felicitatem non inminuit.

CLXIV.

Neque ad evitandum vitæ periculum, falsam religionem simulare licet.

CLXV.

Neque mortem detrectare, neque fugam capessere licet, quando civis, etiam innocentis, traditione ad supplicium, civitas servari potest (§. CCV.).

CLXVI.

Si quis innocens, criminis accusatus, in carcere detineatur, & ad supplicium capitale damnatus sit, errore vel injustitia judicum, fugam, si poterit, capessere debebit: nec minus, si ad aliud pœnae genus fuerit damnatus, quod plus sibi, quam fugam, nocitum esse credit.

CLXVII.

(37)

CLXVII.

Si quis juste damnatus fuerit, huic fugere
non licet.

CLXVIII.

Neque vitam in carcere manu finire licet,
sive nocens quis, sive innocens damnatus sit.

CLXIX.

Certo sensu dici potest, sui cædem Iuri Naturæ, stricte sumto, non semper esse contrarium; quando Ius Naturæ sumitur pro complexu officiorum perfectorum (§. I.): Ethicæ vero semper repugnat.

CLXX.

Civitatis interest, ne quis abutatur suo corpore, sive illud mutilando, sive destruendo: cives igitur, hoc se facturos non esse, promiserunt: & Imperanti jus est, hoc prohibendi ac puniendi: justa igitur est ignominiosa tractatio cadaverum in his, qui semet occidunt; & detentio, vel pœna eorum, qui sibi, occidendi animo, vulnus inflixerunt.

CLXXI.

Ius est Imperanti, videre, ne quid cives

C 3

de-

detrimenti capiant ab imperitis medicis , phar-macopolis , chirurgis , & obstetricibus : hinc merito prohibetur , ne quis artes hujusmodi profiteatur , nisi rite fuerit examinatus ; & ne quis horum hominum , nisi publice peritiam probaverint , opem adhibeat.

CLXXII.

His vero , qui artis medendi , morbosque sanandi vel præveniendi , periti judicati fuerunt , in arte sua credendum est : hinc recte facient singuli , si medicorum consilia , quod ad sanitatem conservandam restituendamque , sequantur : peccabunt , haec si negligant.

CLXXIII.

Neque enim omnino verum est , medice vivere , esse pessime vivere ; quippe sic existimare prohibet consilium Corn. Celsi de Medic. L. I. C. I. „ Sanus homo , qui & be- „ ne valet , & sute spontis est , nullis obli- „ gare se legibus debet ; ac neque medico , „ neque iatralipta egeré . Hunc oportet „ variū habere vitæ genus : modo ruri esse , „ modo in urbe , saepiusque in agro : navi- „ gare , venari , quiescere interdum , sed „ frequenter se exercere ; rel.”

CLXXIV.

(39)

CLXXIV.

Qui criminis reus est, non tamen obligatus est, ad ipsum se accusandum; neque eo loco manere debet, ubi periculum est, ne carceri mancipetur.

CLXXV.

Innocens, neque condemnatus, fugere non debet: nisi tyrranicum metuat imperium.

CLXXVI.

Hinc religionis profiteridae causa solu-
vertere licet & oportet, si hoc alias libere non
licet.

CLXXVII.

Neque Imperanti potestas est, præcipien-
di, ut navium præfecti navim potius incen-
dant, cum omnium vectorum internecione,
quam hosti tradant; neque præfectis hoc fa-
cere licitum est.

CLXXVIII.

Si verum est, 1. cuilibet homini pericu-
lum esse, ne variolarum morbo aliquando
corripiatur: 2. hunc admodum, ita si incautis
eveniat, periculosum fore: 3. periculum ex-

C 4

arti-

(40)

artificiosis variolis esse nullum, vel perquam
exiguum; & hoc 4. tam singulorum hominum,
quam civitatis respectu locum habeat: & sin-
gulis non tantum licitum erit, verum etiam
incumbet obligatio, ut sibi morbum hunc da-
ri patientur: & Imperanti jus est, atque obli-
gatio incumbit, præcipiendi, ut omnes cives
sibi suisque liberis variolas inferi current.

CLXXIX.

Hæ conditiones si non adsunt, neque sin-
gulis obligatio, neque jus est, hunc sibi mor-
bum adtrahendi, neque Imperantibus, juben-
di, ut cives hoc faciant.

CLXXX.

Utrum hæ conditiones adsint, a medicis
audiendum est, illisque credendum.

CLXXXI.

Quod si medici censeant, infisionem mor-
bi publice nocitaram esse, prohibenda est.

CLXXXII.

De se vero suisque, utrum suadenda susci-
piendaque sit inoculatio, necne, suo quis-
que medico credere debet.

CLXXXIII.

(41)

CLXXXIII.

Neque spernendæ sunt opes atque divitiæ,
neque necessariæ putandæ ad veram felicitatem.

CLXXXIV.

Optanda plerumque magis est mediocris,
quam summa rerum ac fortunarum conditio.

CLXXXV.

Contentum suis rebus esse, maximæ sunt,
certissimæque divitiæ.

CLXXXVI.

Labor animo corporique prodest.

CLXXXVII.

Bona existimatio ita curanda est, ut, quales
haberi volumus, tales esse conemur; modo
veram curare felicitatem didicerimus.

CLXXXVIII.

Aliorum de nobis calumniæ spernendæ saepe
sunt; refellendæ aliquando; vindicandæ
numquam.

(42)

CLXXXIX.

Contra calumniantes in statu naturali vis
aliquando necessaria esse potest: in civitate,
duellis abstinendum.

CXC.

Amor Deo nobisque debitus numquām
pugnat invicem.

CXCI.

Non minus falsum est, necessitatem habe-
re legem nullam, quam tot eam habere le-
ges, quot ab Heineccio commendantur, in
Elem. I. N. & G. L. I. §. 158-163.

CXCII.

Neque vera datur umquam pugna inter
officia nobis aliisque debita.

CXCIII.

Si vita fervari non potest, nisi membro
abscisso, hoc patiendum est. Frustra dubi-
tat Heinecc. El. I. N. & G. L. I. §. 165. schol.

CXCIV.

In extrema necessitate, I. carnēm huma-
nam comedere licet & oportet.

CXCV.

(43)

C X C V .

Imo & II. hominem occidere , ut ejus carne vita sustineatur : modo 1. parcatur his , quos falvos esse plurimum refert . 2. primi occiduntur , qui medium hoc adhiberi nolunt . 3. fors ducatur de reliquis .

C X C V I .

III. Cessant dominia rerum . --- Plinc 1. in naufragii periculo , res quaslibet jactare licet , prouti periculum exigere videtur : --- ac , si hoc modo navis servata fuerit , jactatarum mercium damnum ab omnibus , quorum interest , non periisse navim , pro rata parte ferendum est .

C X C V I I .

2. In naufragio , a. neque illi , qui dominus scaphæ fuit tabulæve , neque primo occupanti , majus in eam jus est , quam reliquis .

C X C V I I I .

b. Poterit pristinus dominus & occupans non minus de scapha tabulaque depelli , quam reliqui .

C X C I X .

CXCIX.

c. Ius omnibus , æque utilibus , æquale est , & æqualis obligatio , vitam , adhibita vi , servandi : --- si res eam moram non patiatur , ut fors consuli possit .

CC.

3. In cibi inopia summa , cibaria fiunt communia , sive in agris , sive in urbe obfessa , sive in navi : hinc cibos , etiam adhibita vi , licet eripere custodientibus , quamvis in eadem necessitate constitutis : restitendum tamen pretium , necessitate cessante .

CCI.

4. Frigoris depellendi caussa vestes quilibet obvias adripere , domosque subire licet .

CCII.

5. Necis , quam quis pati non est obligatus , imminentis evitandæ caussa , quemlibet in locum tutum , prohibente quamvis eo , qui se dominum esse dicit , se recipere licet ; & hujus perfugii habendi caussa , vim etiam adhibere .

CCIII.

In extrema necessitate , IV. officia & iura

(45)

ra imperfecta mutantur in perfecta.

CCIV.

Hinc jus nascitur perfectum in res, quæ fuerant adhuc alienæ, sine quibus vita servi-ri non potest: ut in cibum, vestes, ædes (§. CC.—CCII.).

CCV.

Hoste longe potentiore exigente, ut ci-
vis unus pluresve dedantur, quamvis inno-
centes, si qua spes est, hoc pacto civita-
tem salvam fore, cives & obligati sunt, ut
pro civitate se dedant, & inviti tradi pos-
sunt (CLXV.).

CCVI.

Cives excludere portis licet nonnullos, &
hostibus expositos relinquere, quando metus
est, ne, ceteroquin, & hostes in urbem ad-
mittendi sint.

CCVII.

Paucos cives, infantes, senes, feminas, una
cum hostibus, latronibus, piratis, incendio
vel neci relinquere licet, siquidem absque
horum salute illis parci non potest; &, hos
perire, civitatis interest.

CCVIII.

(46)

CCVIII.

Nulla necessitas excusare potest eum, qui, jubente altero, innocentem occidit: neque carnifex interimere debet, quem innocentem esse novit.

CCIX.

Nec tamen carnifex inquirere debet in sententiae latæ justitiam; neque de ea doceri.

CCX.

Munus carnificis tum demum honestum est, quando necessarium.

CCXI.

Idem dicendum de vita militari.

CCXII.

Recte quis, imminente innocentia morte, fuga sibi consulturus, alium sibi obstantem, claudum etiam, aut infantem, submovet, quamvis huic damnum illatum iri verisimile sit.

CCXIII.

Officia iuraque perfecta non confundi cum imperfectis requirit humanæ societatis salus.

CCXIV.

CCXIV.

Perfecta officia sunt, quæ pertinent ad alterum non laedendum, sive, (quod æque late patet), ad suum cuique tribuendum.

CCXV.

Suum quisque merito censet, I. vitam, membrorumque integritatem. II. libertatem, & existimationem simplicem. III. bona justa quæsita. IV, quæ pacto promissa sibi sunt.

CCXVI.

Nemo occidendum, nisi juris perfecti, proprii vel alieni, servandi causa.

CCXVII.

Quando quis ipse se vel alium servare non potest aliter, & quando vitam alterius suæ præponere obligatus non est, omnino licitum est, & oportet, alterum occidere.

CCXVIII.

Sed alterum occidere non licet, utiliorem multo rei publicæ vel humanae.

CCXIX.

Hinc violenta, quæ necem inferat, defen-

(48)

fensione contra patrem, principem, benefactorem, uti licet aliquando, non semper.

CCXX.

Ejus defensionis limites in statu naturali patent latius, quam in civili.

CCXXI.

In statu naturali, quando certum, & in civili, quando extrellum periculum est, defensionem adhibere violentam licet pro vita, membrorum integritate, libertate, existimatione, pudicitia, bonis, atque ex pacto debitibus.

CCXXII.

Neque pro se tantum, suisque bonis & debitibus, suaque vita, libertate, existimatione, integritate corporis, ac pudicitia, sed & pro alio quolibet, & alienis juribus perfectis.

CCXXIII.

In statu naturali læsurum occupare licet, seu prævenire.

CCXXIV.

(49)

CCXXIV.

Nemo quidem corrumpendus est in intellectu aut voluntate: sed harum animi facultatum respectu læsio proprie dicta, sive perfecti juris violatio, locum non habet: nisi quis ex pacto obligetur, alterum docere.

CCXXV.

Similiter stuprum violentum læsio est: non vero voluntarium: quamvis peccatum gravissimum.

CCXXVI.

Solis quoque cogitationibus nemo læditur; licet & hæ minime impunes sint in foro di vino.

CCXXVII.

Sermonis origo nullis hominum cogitationibus aut inventis, sed ipsi Deo debetur.

CCXXVIII.

Vtendum est sermone ad Dei gloriam manifestandam, nostramque & aliorum felicitatem promovendam: neque tamen cuiquam perfecta obligatio loquendi incumbit, nisi ex pacto.

D

CCXXIX.

(50)

CCXXIX.

Hinc veritati studendum; veritas utilis numquam tacenda; fugiendum omne mendacium; non minus officiosum, ac jocosum; quam damnosum.

CCXXX.

Neque ergo verum omne dicendum; sed aliquando tacendum; aliquando videtur error ipse utilis esse posse.

CCXXXI.

Hoc casu non tantum vitio caret, sed & obligationi congruum est, alteri errorem non demere, vel etiam alterum in errorem inducere.

CCXXXII.

Neque necesse, neque laudabile est, ambiguum adhibere sermonem, ubi necesse non est, alteri verum eloqui.

CCXXXIII.

Neque minus verbis, quam factis, alterum inducere licet in errorem utilem aut necessarium.

CCXXXIV.

(51)

CCXXXIV.

Laudanda sunt ergo strategemata; latida-
da quoque nonnulla falsiloquia: modo ca-
veatur omnis perfidia, atque omne mendaci-
cium.

CCXXXV.

Adseveratione & jurejurando tum demum
utendum est, quando nostra, vel alterius in-
terest, persuasum esse alteri, omnem ab ad-
severantibus, vel jurantibus nobis, perfidiam,
atque animum fallendi abesse.

CCXXXVI.

Adseverationem facere licet etiam per res
creatas: sic vero jurare non licet.

CCXXXVII.

Maledicere numquam cuiquam licet, ne-
que exsecrationibus uti.

CCXXXVIII.

Benedicere licet & oportet, quando utile
& decorum est.

CCXXXIX.

Perjurus perfido deterior est, turpisque
vitium est perjurium, quam mendacium.

D a

CCXL.

(52)

CCXL.

Jusjurandum litis decisorium, tam purgatorium, quod dicitur, quam subpletorium, lubricus incertusque probandi modus est; & vel nunquam, vel rarissime, adhibendus.

CCXL I.

Jusjurandum per Deos falsos, angelos, hominesque pios sive defunctos, sive superstites, facere non licet.

CCXL II.

Neque per Deos falsos, angelos, sanctosque, jusjurandum deferre licet.

CCXL III.

Attamen perjurus est, qui per Deos falsos, quos veros esse credit, pejerat.

CCXL IV.

Iusjurandum ex mente deferentis, non ex mente jurantis, praestandum & interpretandum est.

CCXL V.

Iusjurandum comminatorium vel execratorum, non obligat jurantem.

CCXL VI.

(53)

CCXLVI.

Neque obligat iusjurandum, dolo elicitum.

CCXLVII.

Qui coactus juravit, obligatur.

CCXLVIII.

Iusjurandum, quo quis alteri juravit, ipsum repulsam laturum non esse, non obligat, si quid illiciti petat alter.

CCXLIX.

Hinc neque Herodes obligabatur jurejuringando suo promissorio, quod memoratur in Euang. Matth. C. XIV. §. 7., neque Annibal illo, quod est apud Liv. Hist. L. XXI. C. 1. (vid. Budd. spec. Iurisprud. Hist. §§ 68--71.); neque Israëlitæ illo tenebantur, quod occurrit Iudic. C. XXI. §. 1., neque illo, quod Gibeonitis erat præstitum, Jof. IX. 15., neque Aurelianus illo, quod juraverat in necem Tyanensium, teste Vopisco in vita Aurel. C. 22.

CCL.

Neque in jurejurando invalido stricta verborum interpretatione opus est; neque a per-

D 3

ju-

jurio se quis excusare potest, dum solis jurisjurandi validi verbis satisfacit, mentem deferentis vel acceptantis negligens aut eludens.

CCLI.

Si quis ex jurejurando nulli obligatus est homini; neque Dei respectu potest obligatus videri,

CCLII.

Non quidem falsa, sed obscura tamen & lubrica regula est: „ omne jusjurandum esse „ servandum , quod sine salutis æternæ detrimento servari possit.”

CCLIII.

Neque pactum posterius juratum præferrendum est pacto priori injurato: neque jurisjurando clandestino se quis excusare potest, si dicat, se jurasse, nequid, quod promissurus esset, impleret; sic enim omnem ex dolo suo perfidiaque sequelam, tam ad reparandam lassionem, quam ad poenam, merito sustinet.

CCLIV.

Potest quidem Imperans jurisjurandi gratiam facere; vel ab ejus obligatione solvere; nec tamen vir bonus ideo suam quoque obli-

ga.

(55)

gationem internam, præstandi, quod juravit,
cessare contendet.

CCLV.

Perfidiae reus agendus non est Prusias, neque violati juris hospitii accusandus, quod Annibalem a Romanis capi permiserit, si quidem hunc contra Romanos defendere non potuit: --- accusandi potius Romani, quod hostem, qui jam nocere non poterat amplius, ad necem persecuti fuerint. vid. Corn. Nepos in vita Annib. C. 12. --- Dissentit Buddeus in specim. Iurisprud. histor. §. 72-74.

CCLVI.

Felicitatem suam promovet, qui præstat
humanitatem ac beneficentiam alteri: quin &
Dei respectu, perfecte ad has virtutes obli-
gamur.

CCLVII.

Neque tamen utile est, officia imperfecta
per vim vel actionem forensem exigi; quin,
e contrario, societatis humanæ civilisque fa-
lus requirit, nequa propterea vis aut actio lo-
cum habeat.

CCLVIII.

Humanitas autem ac beneficentia non est,
quæ nobis aut alteri vere nocet.

D 4

CCLIX.

(56)

CCLIX.

E hostes & inimicos amandosesse, ratio præcipit.

CCLX.

Et ingratis atque indignis largienda beneficia, quæcumque ipsis prodeesse possint, ac salvis officiis reliquis, præstari.

CCLXI.

Neque adeo promiscue beneficiendum quibuslibet, sed aliis ante alios, si simul non possis omnibus.

CCLXII.

Pro beneficiis & humanitate, quin & medicis ac præceptoribus, similibusque, pro suis officiis, quamvis honorarium accipientibus, gratum animum deberi, ratio docet; non solus sensus moralis.

CCLXIII.

Unice tamen grati animi experiundi caussa benefacere non oportet; quamvis neque necesse sit, omnem grati animi exspectationem a benefico abesse.

CCLXIV.

(57)

CCLXIV.

Gravissime peccant, qui remedia quædam aut artifia utilia, vel necessaria, sic sibi suisque servant, ut ea vel quibusvis prodesse nequeant; vel periculum sit, nequando plane perdantur.

CCLXV.

Inventores atque periti hujusmodi remediorum & artium uti præmiis invitandi sunt ad arcana sua detegenda; sic etiam, si præmiis haut moveantur, pœnis merito cogentur.

CCLXVI.

Homini jus est, utendi fruendi rebus creatis; Dei respectu, ea cum lege, ne illis abutatur; hominum aliorum ratione, sub hac conditione, nequis lædatur.

CCLXVII.

Quisquis igitur rebus creatis abutitur, is injuste agit, Dei respectu; quapropter haut male dixit Augustinus: *Omnia jure esse fideliū & piorum:* qui tamen noluit, omnia nunc illis restitui: neque acrem Barbeiracii censoram meruit, *de la Morale des Pères*, C. 16. §. 15. sqq.

D 5

CCLXVIII.

(58)

CCLXVIII.

In omnia primi mortales idem & æquale
jus habebant, occupandi nempe; quod com-
munio negativa dici commode satis potest:
communionem positivam locum habuisse, ne-
gamus.

CCLXIX.

Neque ergo per divisionem, sed per oc-
cupationem, discessum est a communione
primæva.

CCLXX.

Neque ab ea discedi non potuit; neque
diu durare poterat communio pristina, quam-
vis integra virtute mansissent homines.

CCLXXI.

Durasset tamen forte, quod ad ipsa rerum
frugiferarum corpora: sed fruges ipsas occu-
patas eximi communione oportuit.

CCLXXII.

Corruptis autem hominibus atque corrupta
tellure, nequidem agri, grèges, arboresque
frugiferæ manere potuerunt in statu nullius.

CCLXXIII.

(59)

CCLXXXIII.

Neque nunc utile foret, sive negativam,
sive positivam, inter homines, vel omnes,
vel multos, communionem introducere.

CCLXXXIV.

Neque inter Apostolos primosque Christianos veri nomiuis communio universalis obtinuit.

CCLXXXV.

Nullo ad introducendum stabiliendumve rerum dominium inter homines pacto vel quasi pacto fuit opus.

CCLXXXVI.

Quilibet occupare potest res quaslibet nullius, quas & in quantum eas sibi censet utilles aut jucundas fore : neque adeo necesse est, ut in primæva communione maneant res ab Heineccio memoratae, El. I. N. & G. L. I. §. 235. schol.

CCLXXXVII.

Ad occupationem & animus sequitur sibi habendi, & factum aliquod, ex quo constare possit hæc voluntas.

CCLXXXVIII.

(60)

CCLXXVIII.

Hæc ubi adfunt alicui rei, ea non amplius
est nullius, neque ab alio potest occupari.

CCLXXIX.

Hinc I. Juri Naturæ congrua i. lex est
Saxonum , qua non licet alveari includere
apes , inventas in arbore , quam aliis ejusmo-
di signo jam notavit , ex quo constet , hunc
adfuisse , & eo animo receffisse , ut alveare
adferret , cui apes includeret ; quam legem
ex Thomas. ad Huber. de Jure Civit. L. II.
S. IV. C. 2. p. 455. referunt Barbeir. &
Mascov. ad Pufend. de Jure Nat. & Gent.
L. IV. C. 6. §. 9.

CCLXXX.

2. Similiter l. 55. D. de Adquir. Rer.
Dom. , de qua vid. doctiss. El. Luzac ad
Wolfii Institt. Jur. Nat. & Gent. §. 217. p.
88. sq.

CCLXXXI.

3. Et opinio Trebatii (apud Cajum , in l.
5. §. 1. D. eod.) , cui placuit , feram , ita
vulneratam , ut capi possit , statim esse no-
stram.

CCLXXXII.

(51)

CCLXXXII.

4. Qui hostem in angustias ita compulit, ut evadere non possit, potior est ad lytrum percipiendum, quam qui illum ipse cepit. Dissentit Hertius Comm. de Lytro, Sect. II. §. 7. Opusc. Vol. I. T. I. p. 182.

CCLXXXIII.

II. Juri Naturæ repugnat opinio Pufendorfii, l. c., negantis, i. pullos avium, in nido relictos, adquiri, nisi domum asportentur.

CCLXXXIV.

2. Catulos feræ, in antro deprehensos, adquiri, nisi vel inde dimoti fuerint, vel custodia illis adposita sit.

CCLXXXV.

3. Feram vulneratam adquiri, si vulnus non sit lethale; ibid. §. 10.

CCLXXXVI.

Quod si tamen fera vulnerantis prioris persecutionem evaserit, ab alio poterit occupari: si facile potuerit evadere, communis esse debet inter eum, qui prior, & qui posterior vulneravit.

CCLXXXVII.

(62)

CCLXXXVII.

Nec male pretium, percussori Sanpetri,
Corsi, decretum a Senatu Genuensi, divi-
sum est inter hos, qui ipsutn sclopeto ex
equo deturbaverant, eosque, qui humi stra-
tum gladiis interfecerant: apud Thuan. Hist.
L. XLI. p. m. 838. b.

CCLXXXIII.

Ridicula concertatio fuit inter Andrios at-
que Chalcidenses de urbe Acantho, vacua,
quam prior intraverat Chalcidensis explora-
tor, jaculo portae inniso petiit Andrius. ---
Neque probari potest decisio Samiorum & E-
retrienium, quam probat Heinecc. El. I. &
G. L. I. §. 242. schol., secundum Chalci-
denses; neque Pariorum, pro Andriis senten-
tiam ferentium: neutri quippe populo seor-
sum, sed utrique communiter urbs cedere
debuerat, vid. Barbeirac. ad Pufend. de Iure
N. & G. IV. c. 6. §. 8.

CCLXXXIX.

Quod si duo simul significant animum, ali-
quam rem nullius sibi habendi, æquum est,
ut eam ambo communi jure habeant: & ha-
c tenus reprobanda non est antiquorum for-
mulæ

mula: *communis Mercurius*, vel: *in communione*, *quodcumque est lucri.* v. Hein. I. c. §. 248. cum schol.

CCXC.

Maximi momenti est distinctio inter occupationem per universitatem, & occupationem per fundos, a Grotio facta, de I. B. ac P. L. II. C. 2. §. 4., sic tamen, ut effectus utriusque occupationis idem sit. v. Hein. El. I. N. & G. L. I. §. 243. & 237. schol.

CCXCI.

Hinc, quidquid domino licitum est in suo fundo, idem quoque populis in suo territorio licitum esse debet: &, vicissim, quidquid juris populo competit in sua civitate, hoc etiam singulis, in suis fundis, facere integrum est.

CCXCII.

Quidquid de re quadam integra verum est, illud & de quibuslibet ejus partibus & accessionibus adfirmari potest: hinc populo competit, quidquid in ipsis est territorio; singulis, quidquid in eorum fundis reperitur, neque potiori jure pertinet ad aliurn.

CCXCIII.

CCXCIII.

Hinc I. ab arbitrio populi cujusque pendet,
 1. utrum advenis postulantibus concedere ve-
 lit, si quid intra territorium ipsius est deser-
 tum ac sterile solum: neque hoc ab illis adve-
 nis recte occupabitur: contra Grot. II, 2, 17.

CCXCIV.

2. Velitne aliis facultatem in sua regione
 morandi, vel per suum territorium transeun-
 di concedere, necne: contra Eumd. l. c.
 §. 13. ad quem loc. vid. Gronov. adnotat. ---
 Neque ergo propter solum transitum negatum
 Emoræis justum bellum illatus fuisse Mo-
 ses, Numer. C. 21. §. 21. sqq.

CCXCV.

3. Velitne aliis fluviorum suorum usum,
 atque in illis navigandi, piscandi, natandi,
 libertatem concedere, vel impedire: neque
 distinguendum est inter flumen, qua flumen
 dicitur, & qua aqua profluens vocatur, cum
 Grot. l. c. §. 12.

CCXCVI.

4. Velitne vel liberum ac gratuitum ho-
 minibus mercibusque transitum indulgere, an
 cer-

(65)

certam de illis exigere pecuniam vectigalem,
contra Grot. ibid. §. 14. — Itaque vectigal-
lia majora de uno, quam de altero rerum ge-
nere possunt exigi: possuntque pro arbitrio
exigentis augeri, nisi pactum obstet.

CCXCVII.

II. Privatis competit 1. quibuslibet, sive
advenis, sive civibus, a. jus tollendi, quid-
quid reperiunt in littore, via publica, vel
agro publico, etiam cum animo sibi habendi,
nisi dominus aliquis adpareat, eamque rem
vindicet.

CCXCVIII.

Res tamen inventa neque a. occultanda,
sed ostendenda publice, sive proponenda,
proclamandaque est, si videatur ab ignaro
invitoque domino perdata esse: neque b. dan-
da pauperibus: neque c. ab ipso domino, vel
aa. soluto indicii præmio, nisi promissum sit;
vel bb. integro rei pretio; redimenda.

CCXCIX.

Non competit cuiquam jus tollendi, cum
animo sibi habendi, rem repartam in alieno
fundo, sed hanc indicare domino debet in-
ventor: & hactenus juri naturali consentanea-

E lex

(66)

lex est veterum popolorum, *Quæ non posse suisti, ne tolle.* vid. Heinecc. El. I. N. & G. L. I. §. 248.

CCC.

b. Competit cuilibet jus venandi, pescandi, aucupandi in agro, flumine, stagno, in ariete publico: nisi lege civili facultas illa limitata, vel ademta fuerit.

CCCI.

2. Civibus competit a. jus sibi habendi quidquid in suo agro vel aqua propria repperint, cujusque meliore jure dominus non adpareat. Ipsi tamen & illa servare debebunt, quæ dicta sunt §. 298.

CCCII.

b. Jus venandi, pescandi, aucupandi, propriis in fundis: item jus sibi habendi thesauros, salinas, metallifodinas, carbones, ac similia, suis in agris detecta.

CCCIII.

Neque adeo haec omnia, vel feræ, pisces, & aves res nullius sunt in civitatibus; sed vel per universitatem, vel per fundos, occupata.

CCCIV.

(67)

CCCIV.

Potest quidem summus Imperans interdicere, ne quis in loco publico, vel etiam in agro proprio, venetur, pescetur, aucupetur, vel omnino; vel non, nisi certo modo, tempore, & loco.

CCCV.

Possunt etiam privati sponte se suo iure abdicare: non tantum expresse; sed & tacite; patiendo, leges ferri, & judicia exerceri, quibus hoc ipsum ponatur.

CCCVL

Sed ubi neque lex obstat, neque conventionio, sive renunciatio, quandocumque suo iure privati possunt uti, tamquam re meræ facultatis, quæ nulla præscriptione perditur. vid. Grot. de I. B. ac P. L. II. C. 4. §. 15.

CCCVII.

Quando vel publica prohibitio, vel renunciatio privatorum antecessit, hi venatione, pescatione, aucupio, debebunt abstinere: quod nisi faciant, etiam ultimo supplicio, si non possint aliter coerceri, juste afficiantur.

E 2

CCCVIII.

CCC VIII.

Neque tamen per venatores sui cuiquam agri usus adimi debet, neque cuiquam licet in alieno agro venari, domino invito: neque per leges imponi potest dominis necessitas hoc patiendi: semperque dominis licitum esse debet, quod expresse sibi stipulari solebant Brabanti; velut in Læto Introitu, sive Inauguratione, Philippi II., §. 33. „fundos suos contra feras custodire:” imo & feras sibi noxias abigere & occidere.

CCC IX.

Res hostium non sunt nullius: attamen ab hoste recte occupantur, tanquam ipsi perfecto jure debitæ.

CCC X.

Imo res hostiles etiam ultra debiti modum recte occupantur, quatenus per illas augentur hostium vires, quas frangere licet ac minuere.

CCC XI.

Hostes ipsi capi jure possunt, ac detineri: serviles etiam operæ ab illis exigi, sive ipsi servilem in conditionem redigi, si quidem aliter finis belli justi non possit obtineri.

CCC XII.

CCCXII.

Neque tamen, hostis respectu, res bello publico captæ, capientis fiunt, nisi postquam bellum transactione finitum, eaque dominium capienti cessum fuerit.

CCCXIII.

Thesaurus inventus ad dominum fundi pertinet.

CCCXIV.

Aequum quidem est, ut inventorii thesauri pars, vel præmium tribuatur: nec male dimidia pars illi jure Romano adsignatur: at tamen nihil perfecto jure debetur.

CCCXV.

Si quis rem pretiosam, cuius dominus haut adparet, extraxerit e mari retibus, hanc sibi adquirit: sin ad piscandum conductus fuerit, conductori.

CCCXVI.

Similiter operarius agri domino thesaurum inventum adquirit, non sibi: sed ubi per leges inventorii certa pars tribuitur, haec non minus mercenario debetur, quam inventorii cuilibet.

(70)

CCCXVII.

Qui dominus est pecudis utriusque parentis, hic fœtum suæ pecudis, accessione, sibi adquirit, sed rei furtivæ fœtum nequidem usucapere potest.

CCCXVIII.

Sin alius masculi, alijs femellæ dominus fuerit, utrius domino jus est in fœtum; amplius tamen femellæ domino,

CCCXIX.

Sed hic modus adquirendi locum non habet in servis.

CCCXX.

Insula in mari nata, primo cedit occupanti: in flumine, populo, cuius est flumen.

CCCXXI.

Alluvio cedit agri arcifinii domino, non vero domino agrif limitati. vñd. Heinecc. Element. I. N. & G. L. I. §. 254. cum schol.

CCCXXII.

Alveus a flumine derelictus, populi est: ut & alveus recens a flumine occupatus: igitur

etur & hic, iterum derelictus, populi erit ; contra Heinecc. l. c. §. 255.

CCCXXIII.

Inundatio, quamvis perpetua, dominum jure suo non privat: æquum tamen est, in posterum ex agris inundatis tantum minus publico pendi, quanto minoris pretij facti fuerint. vid. Heinecc. ibid. & in schol.

CCCXXIV.

Justa sunt & æquitatis plena principia, reteque se habent conclusiones, ex illis deducetæ, quæ, post Thomasium, proponuntur apud Heinecc. Elem. I. N. & G. L. I. §. 256—265., quod ad accessionem industria-lem & mixtam; specificationem; adjunctionem; confusioinem; commixtionem; sationem; plantationem; & arborem in confinio positam.

CCCXXV.

Falsum est, in re communi socium quemlibet ad divisionem provocare posse: neque parum sibi contrarius est Heinecc. El. I. N. & G. L. I. §. 269. & §. 382.

CCCXXVI.

Communio imperfecta, qualem ponit Heinecc.
E 4

necc. El. I. N. & G. L. I. §. 231. & §. 272.
revera nulla est: certum tamen , injustam
esse querelam mercenariorum , memoratam
Matth. C. 20. §. 11. 12.

CCCXXVII.

Neque socius socio , post divisionem aut
cessionem , neque venditor emtori præstare
debet evictionem , ex mero naturæ jure , si
nullus dolus , neque ulla culpa , vel mora in-
tercesserit : contra Heinecc. El. I. N. & G.
L. I. §. 274. & §. 356.

CCCXXVIII.

Translatio possessionis necessaria non est ad
dominium transferendum. v. Heinecc. l. c.
§. 275.

CCCXXIX.

Neque jus emphyteuticarium , neque a-
grorum censualium exemplum est in contra-
ctu Josephi cum Aegyptiis , Genes. C. 47.
§. 18. sqq. , qui satis ab injustitia potest &
cruelitate defendi ; quemadmodum egregie
factum est tam a Sam. Chandlero (in libro ,
*Vindication of the History of the Old Testa-
ment* , Part. II. Lond. 1743. 8vo.) , quam
ab Jo. Frid. Iacobi (in de *Akad. der Gel.*
Vol. III. Tom. III. p. 301. sqq.) , & a Theod.
Christ. Lilienthal (*Oordeelk. Bybelverkl.* C.

iz. §. 48. sqq. Vol. VI. p. 58. sqq.). Add. quos nominat Winkler. in Animadvers. Philol. & Crit. p. 180. sq., in his Burcardi in Museo Helvet: Vol. I. P. III. p. 355. sqq., & Cl. Venema Hist. Eccles. Tom. I. p. 119.

CCCXXX.

Testamenta neque ex Jure Naturæ aliquam vim habent; neque quisquam obligatur, testatoris voluntatem exsequi: neque inter Hebræos olim recepta fuerunt.

CCCXXXI.

Hinc & instituto heredi integrum est, hereditatem repudiare: & liberis, atque consanguineis, quibuslibet idoneis ex jure civili remediis testamentum impugnare.

CCCXXXII.

Imo laudabiliter haut raro testatoris voluntatem, quamvis jure civili ratam, negliget heres institutus.

CCCXXXIII.

Ex testamento, quod jure civili invalidum est, ne quidem ex æquitate legata debentur.

CCCXXXIV.

Invalida semper sunt Imperantium de sum-

mo imperio, vel ejus parte, testamenta, ni-
si a populo probata fuerint.

CCCXXXV.

Valent ex Iure Naturæ pacta successoria,
& donationes mortis caussa.

CCCXXXVI.

Sed sola domini voluntas, quamvis rite declarata, non sufficit ad dominium transferendum; quippe requiritur & ab altera parte acceptio: neque ullam vim habet acceptio præsumta: contra Heinecc. l. c. §. 275. 284. & 294.

CCCXXXVII.

Sibi contradicit, qui testamenta quidem jure naturæ valere negat, sed præsumtam voluntatem adeo efficacem existimat, ut propter eam certis hominibus intestatorum bona debeantur.

CCCXXXVIII.

Neque enim voluntati præsumtæ vis eadem, quæ tacitæ vel expressæ, tribui potest; neque certa statuendi ratio est, cuinam bona sua moriens cedere velit; neque naturalis est ordo, quem probat Hein. El. I. N. & G. L. I. §. 296.

CCCXXXIX.

(75)

CCCXXXIX.

Etenim omnes homines merito creduntur adprobare leges naturales, haec vero nihil docent aliud, nisi morientium bona nullius evadere, & primo cedere occupanti.

CCCXL.

Satisque firma credendi ratio est, eum, qui hoc fieri nolit, effecturum, ne fiat.

CCCXLI.

Neque tamen expedit, in civitatibus occupantium fieri bona morientium: hinc certus in qualibet civitate successionis ordo per leges civiles, secundum civitatis utilitatem, statuendus est.

CCCXLII.

Testamenti quoque faciendi potestas, vel libera, vel arctior, lege civili concedi potest, si videatur utile fore: sed hoc minime necessarium est.

CCCXLIII.

Neque liberis parentum hereditas unquam debetur, neque alimenta debentur, postquam adoleverint: neque pari jure sunt liberi extra familiam, & in ea, degentes: neque pa-

ter-

ternam hereditatem occupare possunt, matre superstitae; neque maternam, vivo patre.

CCCXLIV.

Conjugi enim superstite totum patrimonium competit, quod antea commune fuit utriusque: & eodem modo se res habet in societate quavis universalis vel particulari, ut pars socii deficientis accrescat socio vel sociis reliquis.

CCCXLV.

Neque certa naturaliter est regula, patri legitimos tantum, illegitimos matri quoque succedere liberos; neque vel omnibus liberis æquam hæreditatis partem deberi; neque filiis plus, quam filiabus; neque his plus, quam illis; neque primogenito plus, vel minus, quam postgenitis.

CCCXLVI.

Non magis igitur iniquæ sunt leges, quæ dispar, quam quæ par liberorum jus esse jubarant.

CCCXLVII.

Itaque tam leges Hebræorum, quam Romanorum, tam antiquæ, quam recentiores; tam

(77)

tam successionis Aasdomicæ, quam Scabiniæ, defendi possunt.

CCCXLVIII.

Juri quoque naturali perinde est, utrum in stirpes an in capita succedant nepotes: utrum una cum adscendentibus admittantur, an ab his excludantur; an hos excludant.

CCCXLIX.

Domino rei jus est re sua utendi, & hinc rem possidendi, ac vindicandi a quolibet possessore.

CCCL.

Domino quoque jus est externum, re sua abutendi, eam corrumpendi, ac destruendi.

CCCLI.

Pietas tamen & humanitas haut patiuntur, ut quis rem destruat, quæ possit utilitatem alteri præstare; vel rem ita constituat, ut alteri inde detrimentum accedat.

CCCLII.

Ita jure quidem externo perfectoque licitum est, arbores in suo solo plantare, quæ vicini prospectum amœnum intercipiant; & horti

Korti sūi flores inficere veneno, quamvis ex eo pereant apes vicini (vid. Quintil. Declam. 13.): sed humanitatis est, abstinere usū juris, qui alteri molestus esset, nobis vero non valde prodesset.

CCCLIII.

Nihil necesse est, ut dominus, rem suam vindicans, possessori pretium, ejusve partem, restituat: vid. §. 298.

CCCLIV.

Si quas tamen impensas ipse dominus ad rem recuperandam facere debuisset, possessor habet jus rem retinendi, donec de impensis his, quas eam in rem fecit, illi cautum sit.

CCCLV.

Bonæ fidei possessor omnia ipsius domini jura habet; sed innotescenti domino rem cum omni fructu naturāli & civili, sive usūris ordinariis ac pensionibus, mox restituere debet.

CCCLVI.

Fructus industriales bonæ fidei possessor jure retinet, modo domino solvat usuras ordinarias, sive pensionem consuetam.

XXXLVII.

(79)

CCCLVII.

Eadem sub conditione, fructus perceptos atque consumtos retinere potest bona fidei possessor: idque, siue hereditas petatur, siue res singularis.

CCCLVIII.

Rei consumtæ pretium restituere tenetur bona fidei possessor: non vero rei, quæ casu periit: neque lucrum, quod fecit vendendo rem, quam gratis; vel carius vendendo eam, quam minore pretio acquisiverat.

CCCLIX.

Malæ fidei possessor nihil juris habet: ita que domino rem cum omni fructu, si velit dominus, vel cum omni eo, quod interest domini, rem penes se non fuisse, restituere debet.

CCCLX.

Sin res periit, absque dolo, de pretio rei non tenetur ex mero jure naturæ: sed de fructibus consumtis & omni lucro tenetur: ac præterea ad id, quod domini interest: & ad pœnam.

CCCLXI.

CCCLXI.

Propria quidem auctoritate nemo, in civitate, sibi rem suam vindicare debet, quam judicis officio potest acquirere: sed si probations desint, hoc noverit malæ fidei possessor, ideoque suum domino reddere recuset; hic rem suam, vel debitoris, quæ tantumdem valeat, juste sibi vi vel clam vindicabit. vid. Grot. de I. B. ac P. L. II. C. 7. §. 2. ibiq. Barbeir.

CCCLXII.

Quicumque rem alienam possidet, quamvis longissimo tempore bona fide suam esse putaverit, obligatus est ad eam restituendam vero domino, cum omni illius rei, non industriae suæ, fructu. vid. §. 355. cum sq.

CCCLXIII.

Multo magis eadem obligatio his incumbit, quicumque damnum aliis intulerunt scientes, qui recte facient, siquidem copiosas addant rei usuras, exemplo Zacchæi, Luc. C. 19. §. 8.

CCCLXIV.

Similiter, si quis justo titulo, hereditatis for-

forte vel donationis, rei injuste quæsitæ possessor evaserit, eam domino restituere debet, vid. Jo. de Mey Opp. Theol. T. I. p. 293.

CCCLXV.

Egregie tamen, uti plurima, Seneea scribit, de Benef. L. IV. C. 10., „ Depositum „ non semper reddam, nec quolibet tempo „ re. Intuebor utilitatem ejus, cui reddi- „ turus sum, & nociturni illi depositum „ negabo.” Eademque est sententia Ciceron. de Offic. L. I. C. 10. & L. III. C. 25., &, hominis non admodum sapientis, Ambrosii de Offic. L. I. C. 50.

CCCLXVI.

Recte statuunt Alciatus, in Comment. iurit. Cod. de quinq. ped. præscr., Opp. T. III. col. 347., & Ames., de Conscientia L. V. C. 41. §. 21. sq., — eum, qui bona fide rem usuccepit, si deinde cognoverit, ad quem rei dominium pertineret, in foro conscientiae teneri ad rem restituendam.

CCCLXVII.

Minus tamen recte Cuiacius adserit, in in Comm. ad I. i. D. de Vsurgatt. & Vsurgapp., Opp. T. II. col. 259., usucaptionem pugnare cum jure gentium; & hanc in

re jus civile pugnare cum æquitate naturali,
quod usucapio dominium auferat invito.

CCCLXVIII.

Etenim & præscriptio inmemorialis jure
naturæ gentiumque locum habere debet,
& usucapio jure civili certis annorum finibus
describenda est.

CCCLXIX.

Sufficit itaque, jure naturæ ac gentium, ad
possessionis justitiam probandam, si quis tan-
to tempore rei, regionemve tenuerit, ut
nulla superfit memoria tituli, quo possidere
cœperit.

CCC LXX.

Potestque adeo tempus inmemoriale vel
previus esse, vel longius annis centum.

CCCLXXI.

Eoque diuturnæ possessionis argumento,
præter alia, recte sui populi dominium tuitus
est Jephthes, contra regem Ammonæorum,
Judic. C. XI. §. 26.

CCCLXXII.

Quamvis eo solo, diuturnæ cessationis ab
exactio-

(83)

exactione, argumento, liberatio a debito pecuniario, vel alio personali, probari non possit, ut recte docuit Christ, Thomas, in diss. de perpetuitate debitorum pecuniarior., Tom. III. Dissert. 72. p. 28. sqq., errare tamen in eo videtur, quod & differentiam faciat inter praescriptionem dominii & debitos pecuniae, & omne praescriptionis fundamen- tum ponat in presumta derelictione.

CCCLXXXIII.

Neque enim vel propter solum temporis lapsum, vel propter derelictionem presumtam, uti Grotius, Thomasius, ac Wolfius existimant, sed propter necessariam humani generis ac societatis civilis securitatem, atque defectum legitimae probationis, exigen- da non sunt, quae vel inmemoriali, vel cer- to, secundum leges civiles, tempore posse- sa quiete fuerunt.

CCCLXXXIV.

Vsi totum summum imperium, ita quo- que singulæ ejus partes, praescriptione inme- moriali sive adquiri, sive defendi possunt.

CCCLXXXV.

Ac possunt jura maiestatis singula per pra-
F 2 feri-

scriptionem inmemorialem a subjectis adquiri,
& ab imperantibus amitti.

CCCLXXVI.

Quin & jura majestatis illa, quæ sœpe solent cum subjectis communicari, quæque communicari possunt, manente subjecti (subdit) persona, per ordinariam juris civilis præscriptionem adquiruntur.

CCCLXXVII.

Præpostera tractationis ratio est, qua primum Heineccius de Contractibus agit, Elem. I. N. & G. L. I. C. 13., deinde de Partis, C. 14.

CCCLXXVIII.

Omnes quippe contractus pacta sunt; non viciissim.

CCCLXXIX.

Pacta quibuscumque de rebus, etiam iHis, quæ natura perfecte debentur, recte ineuntur.

CCCLXXX.

Quælibet pacta, legitime inita, perfectam producunt obligationem.

CCCLXXXI.

(85)

CCCLXXXI.

Neque tamen negandum est, dari quas-dam promissiones imperfectas: neque periculum est, ut has statuendo, perjuriis, dolis, ac fraudibus occasio detur; contra Heinr. l. c. §. 389. schol.

CCCLXXXII.

Etiam pacta nuda perfectam pariunt obligationem & actionem ex jure naturæ; nec male tamen eam Romani nudo pacto negantur.

CCCLXXXIII.

Pacta tacita non minus obligant, quam expressa, nec tamen silentium certam præbet consentientis probationem; sed tum demum, quando quis loqui debuisset ac posuisset, nisi consentire voluisset.

CCCLXXXIV.

Solus nutus non magis consensum probat.

CCCLXXXV.

Ad validum pactum faciendum & requiriatur & sufficit facultas pacificandi, physica & moralis, & declaratio consensus.

F 3

CCCLXXXVI.

CCCLXXXVI.

Hinc pacta valida sunt omnium eorum, qui sciunt, quid agant; neque promittunt, quæ præstare, physice vel moraliter, nequeunt.

CCCLXXXVII.

Hinc judicari potest de pactis infantum, minorum, ebriorum, ægrotorum, furiosorum.

CCCLXXXVIII.

Pactum inter errantes initum, quorum error utrumque fuit efficax, hoc est, eos ad paciscendum movit, invalidum est,

CCCLXXXIX.

Nec magis pactum valet, siquidem alterius versatus est in errore efficace, nec superabili, qui rem ipsam adtingat, de qua agitur; quique cum ea adeo nexus est, ut & alteri hoc ignotum esse non potuerit,

CCCXC.

Sic, si quis, opinatus filium suum esse mortuum, in alium sua bona pacto transtulerit, invalidum est pactum, quando filium vivere constat.

CCCXCI.

(87)

CCCXL.

Imo, post mortem transferentis, bona filio restituenda sunt: idemque in testamentis locum habet.

CCCXCI.

Si quis virginem opinatus, viduam esse resciverit uxorem; vel pauperem, quam di vitem esse putabat; vel morbidam, etiam epilepticam, quam sanam esse credebat, (contra Heincc. El. I. N. & G. L. I. §. 393. schol.) haut dissolvendum est matrimonium,

CCCXCIII.

Ast ipso jure nullum est, si, viro ignaro, femina vitio corporis mulier fieri non possit, si prægnans ex alio sit, vel pepererit, extra matrimonium; denique, si feminam aliam ab ea, quam in animo habuit, duxerit.

CCCXCIV.

Neque adeo validæ fuerunt Iacobi, Isaa-
cidæ, cum Lea nuptiæ, nisi ex ratihabitio-
ne secuta. v. Hein. El. I. N. & G. L. I. §.
394. schol.

F 4

CCCXCV.

CCCXCV.

Dolus contractui caussam dans, vitiat contractum: non dolus incidens; nisi quatenus effecit, ut aliter contractum fuerit, quam futurum fuisset, nisi dolus adfuisset,

CCCXCVI.

Quod quis vi metuque coactus promisit, praestare debet; sive justus metus fuerit, siue injustus: nisi factum, vel non factum illicitum promissum fuerit,

CCCXCVII.

Et qui metu coactus promittit, simul renunciat reparationi injuriæ, per hunc metum illatae,

CCCXCVIII.

Recte tamen efficacia negatur ejusmodi pacto in foro civili; vel rescissio locum habet; sed qua vir bonus in suum commodum non est usurpis,

CCCXCIX.

Multo magis praestandum est promissum, metu extortum, & jurejurando firmatum,

CD.

(89.)

CD.

Acceptio numquam præcedit promissio-
nem, sed tacita sufficit, si vel idem, quod
unus rogat, promittit alter; vel amplius;
tunc vero tacendo accipi videtur idem, quod
rogatum est,

CDI.

Acceptatio præsumta pactum validum fa-
cere non potest; sed expressam vel tacitam
esse oportet,

CDII.

Quæcumque facere non licet, ea nec pro-
mittere licet: neque adeo quisquam obliga-
tur promisso, quo se obstrinxit ad delicti
præmium dandum; antequam delictum pa-
ratum sit,

CDIII.

Sed post patratum facinus turpe, præmii
promissor tenetur ad illud solvendum. (Add.
§. 409.—411.)

CDIV.

Qui perire volenti fert operam, præmiam
meretur, recteque Davides occidi iussit eum,
qui regem Saulum a se cæsum esse gloriaba-

F 5

tur;

(90)

tur: Sam. L. II. C. 1. §. 14—16. vid. Hein. El. I. N. & G. L. I. §. 399, schol.

CDV.

Qui factum alienum promisit , omnem operam adhibere debet , ut alter hoc præstare velit : si nolit alter , nequidem ad interesse tenetur promissor , nisi ad id expresse vel tacite se obstrinxerit.

CDVI.

Hinc judicari potest de obligatione sponsoris , & de perfidia Romanorum in sponso-
ne Caudina & Numantina. v. Hein. El. I. N. & G. L. II. §. 213. cum schol.

CDVII.

Conditio , quam uterque novit impossibili-
lem esse natura , vitiat contractum ; non ,
quæ legibus impossibilis est.

CDVIII.

Néque ex pacto Lemnii tenebantur ad ur-
bem suam Miltiadi tradendam , secundum ea ,
quæ narrat Cornel. Nepos in vita Milt. C.
I. & 2.

CDIX.

(91)

CDIX.

Si quis ob turpe facinus præmium promisit, recte punitur, tamquam moralis causa ejus sceleris,

CDX.

Neque sola natura iubet, in testamentis conditiones turpæ aut impossibilis pro non adscriptis haberi: dum quod sub conditione physice impossibili relictum est, totum videtur habendum est: quod sub conditione turpi relictum est, in suspenso esse debet.

CDXI.

Qui tamen conditionem turpem implet, ad poenam tenetur, (Add. §. 402, sq.)

CDXII.

Alteri, non consentienti neque scienti, alter stipulari valide non potest: sed qui promisit absenti, obligatus est ad promissionem non revocandam, donec sciatur, utrum alter accepturus sit conditionem,

CDXIII.

Vt in imponendo rebus operisve pretio ratio habeatur aliorum, a quibus aliquid adqui-

quirere cupimus ; sive, ut tanto aestimetur res aut opera nostra, ut hos eas tanto pretio fibi comparare velle, probabile sit, — quod Heineccius præcipit, in Elem. I. N. & G. L. I. §. 330., est quidem humanitati prudentiæque congruum ; non tamen jure perfecto debitum,

CDXIV.

• Rerum pretia conficiuntur ex hominum defideriis : hæc sequuntur rei raritatem simul & utilitatem ; sive veram , sive opinatam.

CDXV.

Pretii mensura dicitur pecunia ; quæ merx est universalis ; utilissima , siquidem homines illa recte utantur : nullius usus , quamdui latet in arcis. v. Opmerker N. 75.

CDXVI.

Laudarida tamen non minus parsimonia , quam liberalitas ,

CDXVII.

Sed magis vituperanda avaritia , quam profusio .

CDXVIII.

Pecunia inter gentes commerciis deditas , alia

alia esse non potest, præter aurum & argen-
tum.

CDXIX.

Quæ metalla, signo publica auctoritate
impresso, monetam, numos, pretium emi-
nens, sive particularem diversarum gentium
Cl. pecuniam efficiunt. vid. Cl. Schott Diff.
de Notione pecuniae.

CDXX.

Crescente pecuniae copia, rerum pretia
augentur: illa minuta, pretia decrescunt. vid.
Bielfeld Instit. Politiq. Tom. I. C. 8. §. 17.

CDXXI.

Quando princeps externum monetæ pre-
mium longe majus esse jubet, quam pretium
est metalli, sive internum, civium jura vio-
lat, falsam monetam cudit, ac damnum dat
sibi subjectisque.

CDXXII.

Aequalitas in contractibus necessaria tan-
tum est desideriorum in utroque contrahen-
te, non rerum ipsarum: harum enim pre-
mium pendet ab arbitrio contrahentium.

CDXXIII.

Adeoque rescindi non potest contractus
per-

perfectus, nisi munuo consensu: nisi per legem civilem certus modus statuatur, de pretio judicandi: quam in rem utilis est constitutio legis 2. C. de Rescind. Vendit.

CDXXIV.

Hoc tamen invicem sibi debent contrahentes, ut res, quas inter se commercio permutant, usum speratum, quem ambo cognoscunt, præberè possint.

CDXXV.

Emissio venditio spectari potest ut species permutationis.

CDXXVI.

Valida fuit, externo jure, conventio Iacobii & Esavi de jure primogeniturae.

CDXXVII.

Si res commodata perierit aliquo casu, quo peritura non fuisset apud dominum; a commodatario restituenda, dannumque sarcendum est.

CDXXVIII.

Idque legi divinae, Exodi XXII. §. 14. 15., congruum est; contra Heinécc. El. I. N. & G. L. I. §. 343. schol.

CDXXIX.

(95)

CDXXIX.

Sin eodem casu res commodata peritura
fuisse apud dominum, commodatarius da-
mnum sarcire non debet.

CDXXX.

Aliquando recte facit depositarius, rem
depositam suis usibus adhibens, velut equum;
quia curandum est, ut eodem in statu domi-
no restitui possit.

CDXXXI.

Si mandatarius occasione mandati damnum
senserit, quod cum ipsa re mandata melius
exequenda nexum habeat, hoc sarcendum
est.

CDXXXII.

Si mandatarius, dum mandatum expedit,
a latronibus spoliatus est, neque ipse in cul-
pa fuit, hoc ei damnum sarcendum est a
mandante, quatenus mandatarius res ad iter
& expediendum mandatum requisitas perdi-
dit: neque minus hoc inter privatos, quam
in persona publica locum habet; quamvis alii
censeant, distinguendum esse: apud Heinecc.
El. I. N. & G. L. I. §. 349. schol.

CDXXXIII.

(96)

CDXXXIII.

Quasi contractus ignoti sunt jure naturæ.

CDXXXIV.

Nascitur tamen obligatio mutua , si quis alterius ignorantis negotia gesserit; & quotiescumque alter cum alterius detrimento fieret locupletior, vel officium suum alicui damno esset, nisi nasceretur obligatio rationum reddendarum , & damni sarcendi.

CDXXXV.

Nihil necesse est, ut mercator emituris indicet, etiam si rogatus, alios paulo post cum eadē merce venditores adfuturos: sed hoc casu poterit emtorum inscitiam in suum commodum vertere. vid. Heincc. El. I. N. & G. L. I. §. 351. schol. & Rever. de Vos in Dissert. Soc. Harlem. Vol. X. Tom. I.

CDXXXVI.

Sed ædes, paulo post diruendas jussu publico , alteri , inhabitandi caussa emturo, vendere non licet , nisi indicato illo jussu, vel nisi ejus notitiam habuerit emtor aliunde.

CDXXXVII.

Res vendita, licet nondum tradita, regula-

littere est periculo emtoris. v. Hein. l. c. §.

353.

CD XXXVIII.

Vendor emtori non est obligatus natura-
liter ad evictionem præstandam , quamvis ad
evitandas fraudes utile sit , hoc jure civili
constitui.

CD XXXIX.

Si quis jactum retis emerit , huic compe-
tit quæcumque res nullius extrahitur , nisi de
piscibus tantum contractus fuerit initus . At-
tamen , si res pretiosa fuerit extracta , pisca-
tori præmium tribui æquum est . Confl. §.
314. 315. Itaque contra Apollinem , qui se
sapientissimum , credo , significabat , (apud Val.
Max. L. IV. C. 1. ex. ext. 7., & Grammat.
ad Aristoph. Plut. vs. 9.) & contra Heineccium ,
(l. c. §. 359. schol. junct. §. 241. schol.) ,
pronunciare ausim.

CD XL.

In forte nihil est , quod eam ab rebus hu-
manis atque contractibus amoveri jubeat .

CD XLI.

Neque ergo olla fortunæ , ludique aleato-
rii per se juri naturæ vel ethicæ adversantur .

G. CD XLII.

(98)

CDXLII.

Sed propter abusum, hominumque pravos
adfectus, saepissime tam privatis, quam reip.
nocent.

CDXLIII.

Hinc laudandæ sunt leges, quibus actio
denegatur aleatori vincenti, atque repetitio
soluti conceditur. vid. lex i. Cod. de Alea-
torib. (L. III. tit. 43.)

CDXLIV.

Jure perfecto conductor remissionem mer-
cedis exigere non potest, si casu, vel spectro-
rum metu, prohibetur uti re conducta: sed
æquum & humanum est, ut in casu maxime
insolito detur aliqua remissio.

CDXLV.

In mutuo locum habet alienatio.

CDXLVI.

Visura omnes neque naturali, neque divi-
no positivo jure prohibita sunt.

CDXLVII.

Si certum tempus, intra quod debitum
solvendum sit, constitutum non est, & in-
com-

commoda creditor i evasit dilatio solutionis
vel pignoris custodia; post unam denuncia-
tionem creditor pignus vendere potest.

CDXLVIII.

Fidejussionem pro criminis capitalis reo
neque alius suscipere, neque judex aut le-
gislator permettere jure potest.

CDXLIX.

Neque enim hanc habent homines po-
tem in suam vitam, neque in vitam alte-
rius innocentis, ut eam innocens ponere,
vel alius innocentis adimere possit pro altero
nocente: neque etiam civitati prodesse po-
test, crimina, ab aliis patrata, in aliis puni-
ti, sive aliis imputari.

CDL.

Hinc stolida fuit & injusta Rubenis obla-
tio, apud Mosem, Histor. L. I. c. 42. §. 37.

CDLI.

Justa vero & valida fuit oblatio Iudee, ibid.
C. 43. §. 9.

CDLII.

Locus autem in Regum Hebraeorum Hi-
sto-

istoria, L. I. C. 20. §. 33., ad ejusmodi fidejussionem non pertinet: non magis, quam ejusdem Historiae L. II. C. 10. §. 24., aut in Jesaiæ Vaticiniis C. 43. §. 3. 4.

CDLIII.

Neque tamen ex dictis (§. 448.) collendum est, intercessionem vicariam Iesu Christi, τοῦ Θεανθρώπου, pro peccatoribus, in Divino judicio validam esse non posse: quippe cessat in illo supplicio capitali ratio utraque, tradita §. 449.

CDLIV.

Frustra vero laborant, qui simile exemplum, humanæ justitiae congruum, in foro humano reperire satagunt: ut &, qui, hoc modo divinæ justitiae satisfieri potuisse ac debuisse, solo rationis lumine perspici posse putant.

CDLV.

Intercessio Christi pro peccatoribus illis, qui fiduciam in eo collocant, non fidejussoria, sed expromissoria dicenda est; si quis proprie velit, & ex arte juris Romani loqui.

CDLVI.

Intercessio Pauli pro Onesimo, in Epist. ad

(101)

ad Philemon. §. 18. 19., constitutoria est;
non fidejussoria, aut expromissoria.

CDLVI.

Siquis pro pecuniæ reo expromiserit, con-
scientia quoque reum absolvere potest.

CDLVII.

Non satis certum est, quod scribit Hei-
necc., El. I. N. & G. L. I. §. 376., tum
demum fidejussores conveniri posse, si satis
constet, debitorem principalem non esse sol-
vendo.

CDLIX.

Merito saepius a fidejubendo Salomo de-
hortatur, Proverb. C. 6. §. 1. C. 11. §. 15.
C. 17. §. 18. C. 20. §. 16. C. 22. §. 26. 27.
& C. 27. §. 13. — neque enim hoc facien-
dum est, nisi vel optime noverimus debito-
ris principalis voluntatem & facultatem sol-
vendi : vel debitum exigui sit momenti,
respectu fidejussoris : vel hic majorem pecu-
niæ summam donare velit, ac, sine cuius-
quam detimento, possit. vid. I. D. Michaël.
ad Proverb. C. 6. §. 1-5.

CDLX.

Status naturalis hominum, obpositus statui

G 3

ci-

civili, non est fictio duntaxat, sed & existit ante civitates constitutas, & existit, ubi nulla civitas est, & inter gentes diversas,

CDLXI.

In eo plenam æqualitatem ac libertatem obtinere necesse est, jus etiam æquale occupandi res nullius; atque suum per vim defendendi ac vindicandi: sed nullo modo jus omnium in omnes & omnia; neque bellum omnium in omnes illic habet locum,

CDLXII.

Possunt etiam societas quædam variis generis in statu naturali locum habere: qua propter minus recte obponitur omni statui sociali.

CDXLIII.

Nec tam misera necessario vita vivitur in statu naturali, quam visa fuit Hobbesio ac Pufendorfio.

CDLXIV.

Nec in illo brutis omnino similes homines ac feri statuendi sunt, quales olim finixerunt atque pinxerunt Lucretius & Horatius, & ætate nostra, Russavus.

CDLXV.

CDLXV.

Cañus hanc videtur veri nominis civitatem condidisse. vid. Periz. in Originib. Baby-
lon. c. 3. p. 45. sq. Heinecc. El. I. N. & G.
L. H. §. 13. schol. & §. 104. schol. Deiling.
P. III. Obs. p. 19. & Cassel in Martini The-
sauro Dissertatt. Tom. II. Part. II. p. 3. Imo
nequidem ante diluvium existisse videntur
ullae civitates. vid. Dithmar. Exercitt. Acad.
P. I. diff. 13.

CDLXVI.

Nulla proprie datur societas coacta, ne-
que ex presumto consensu nata: contra Hei-
necc. I. c. §. 16. & 17.: quippe societas inter-
parentes liberosque nascitur ex obligatione li-
beros educandi; inter dominum ac vernas,
ex obligatione farciendi damni; reliquæ o-
mnes, ex consensu voluntario, qualis etiam
est, quem vis expressit.

CDLXVII.

Nihil necesse est, ut unicus matrimonii
sit finis, procreatio & educatio sibi solis: et
enim & ob opem mutuam, & ob jucundum
magis vitæ consortium inire conjugium licet.

G 4

CDLXVIII.

M. A. G.

CDLXVIII.

Quod si tamen alter aptus adhuc est procreandis liberis, ineptus alter, hi matrimonio se non recte copulabunt: & hoc in civitate merito prohibebitur: sin uterque procreationi sit ineptus, nihil obstat, quo minus jungantur. vid. Bruckner. *Decis. Iur. Matrim. C. xi. & Aug. Gul. Hupel Vom zweck der Ehen, ein versuch, die heurath der Castraten, und die trenning unglücklicher Eben zu verttheidigen, Rigæ, 1771. 8vo.*

CDLXIX.

Sponsarium obligatio perfecta est; neque finitur, quando tantum alteruter consensum retrahit.

CDLXX.

Prudenter Romani, atque decore, certum tempus lugendi viduabus indixerunt, quibus imprudenter, & absque idonea ratione, Pontificum Canones refragantur: neque male viduis, alibi, certum quoque luctus tempus statutum est,

CDLXXI.

Imo laudem merentur tam vidui, quam viduae, paullo ultra statutum lege tempus viduitatem ferentes.

CDLXXII.

CDLXXII.

Neque irrita tamen habenda sunt sponsalia, intra tempus luctus inita. vid. Pütmann. Adversar. Iur. Vniv. L. I. C. 10.

CDLXXIII.

Si qua virgo vi coacta se desponderit, etiam hæc sponsalium obligationi satisfacere recte cogetur,

CDLXXIV.

Si qua vim passa invita virgo esse desierit, huic tamen corona nuptiadis, ubi eam a virginibus nubentibus gestari moris est, neganda non videtur. vid. Pütmann. l. c. C. 9.

CDLXXV.

Ad ineundum ac repetendum matrimonium omnes obligantur a natura, quibus occasio est (vid. §.480.); neque culpandæ sunt leges civiles, quæ cœlibem vitam agentibus aliquam poenam irrogant, aut commoda quædam admunt,

CDLXXVI.

Neque adeo laudandæ sunt leges, quæ vel Ecclesiasticos, vel milites uxorem ducere prohibent,

G 5 CDLXXVII.

(106)

CDLXXVII.

Meritoque conditio, *si non nupserit*, aut *uxorem non duxerit*, legatis aut heredis institutioni addita, turpis habetur, & tamquam scripta non fuisset.

CDLXXVIII.

Neque universe Christianis omnibus omni tempore cælibatum commendat S. Paullus in Epist. I. ad Corinth. C. 7., qui, e contrario, matrimonium laudat, imo præcipit, in Epist. ad Hebr. C. 13. §. 4.

CDLXXIX.

Merito bene moratae felicisque civitatis indicium habetur, ubi matrimonia frequentia sunt & honori ducuntur; ubi cælibes pauci sunt & contemptu quodam puniuntur; ubi, denique, rara vel nulla sunt divertia; nullæ separationes a toro mensaque perpetuae.

CDLXXX.

Occasio commoda matrimoniī ineundi (§. 475.) deest his, qui illud iaire non possunt absque violatione aliorum officiorum naturallium, veluti honestatis (§. 470. 471.), aut operæ, quam debent Ecclesiæ vel Reipublicæ;

æ; denique his, qui liberos nascituros alere vel educare se non posse, præsident,

CDLXXXI.

Omnis tamen extra matrimonium concubitus legibus naturalibus repugnat; non semper juri naturali.

CDLXXXII.

Tam uxorum communionem promiscuam, sive nullam nulli certo vinculo, quam pluribus unam jungi, natura vetat, neque Plato suavit contrarium. vid. Buddei *Analecta Histor. Philosoph.* p. 442. sq.

CDLXXXIII.

Laudandum non est acumen Papirii Prætextati, matrem ludentis, quod, ex Gellii Noct. Attic. L. I. C. 13., refert Heinecc. El. I. N. & G. L. II, §. 36, Schol.

CDLXXXIV.

Polygynian prohibet Ethica, pro protense rerum hominumque conditione: nequa tam en ea semper rectas rationes repugnat ubique, nec umquam juri perfecto alterius, deinde iuri naturæ proprie dicto, Conf. §. 491, sqq.

CDLXXXV.

CDLXXXV.

Neque inter Iudeos expressa lege prohibita, neque inusitata olim fuit polygynia.

CDLXXXVI.

Sed neque Athenis umquam, neque Valentiniā I. publica lege vel praecepta fuit fuit polygynia, vel permissa.

CDLXXXVII.

Neque in Novi Fœderis tabulis expressa lege prohibita est polygynia; neque verisimile est, aut constat, unquam Apostolos, polygamis ptacepisse, ut uxorem alterutram dimitterent. vid. §. 494.

CDLXXXVIII.

Si quis, errore, vel dolo, secundam, priore vivente, conjugem duxerit, hoc matrimonium nullum est.

CDLXXXIX.

Nihil tamen necesse est, ut bigami capitali supplicio puniantur. Diff. Math. de Crimin. L. XLVIII. t. 3. C. 7. §. 8. & Brouwer. de Jure Connub. L. II. C. 5. §. 27.

X.D.

Quod Episcopi, sive presbyteri, atque dia-

diaconi jubentur unius uxoris esse viri, I. Timoth. C. 3. §. 2. & 12., & ad Tit. C. 1. §. 6., docet, eos 1. & uxorem habere debere; 2. & unam tantum, non plures, neque concubinam; 3. neque divortio dimissam, vid. Scalig. adnot. ad I. Cor. XV, 29.

XDI.

Falsa est opinio Io. Lyseri, Bolingbrokii, & Comitis Rantzovii (*discussion sur la Polygamie*, Petropoli, 1774. 8vo.) existimatim, non tantum permittam esse, sed & praeceptam, Lege Naturæ, Polygynian (Conf. §. 484. sqq.). vid. Leland *Beschouw. van de Schrift. der Deist.* Vol. II. Tom. I. Epist. 9. p. 341.

XDII.

Fieri tamen potest, ut bigamo permittenda sit utraque conjux; veluti, si, posterioris uxoris ope, marito magnum, v. gr. libertatis, beneficium contigerit. vid. Matth. de Criminib. L. XLVIII. tit. 3. C. 7. §. 8. Bruckneri Decif. Iur. Matrimon. C. 14. §. 66. p. 399. Hert. Diff. de Matrim. putat. §. 45. Opusc. Vol. I. Tom. I. p. 283. sq. & Leibnit. in Symb. Litt. Hag. Cl. I. Fasc. 3. p. 636.

XDIII.

Quod si Muhametanus, aut Paganus Polygamus ad Christiana sacra transeat, omnes illi,

illi, quas habet, uxores retinendæ sunt. vid.
Brückner. l. c. §. 63. p. 398. & Hert. l. c.

XDIV.

Neque interdicitur polygynia I. Cor. C. 7.
§. 4, ut opinantur Grot. de I. B. ac P. L. II.
C. 5. §. 9. n. 2. & Brouwer de Iure Connub.
L. II. C. 5. §. 18. vid. §. 487.

XDV.

Incestus quid sit, Iure Naturæ, dici non
potest.

XDVI.

Neque enim ullum matrimonium ob eam
solam rationem, quod contrahentes sanguine
vel affinitate jungantur, prohibitum est lege
Naturali,

XDVII.

Neque illa lex de incestu positiva univer-
salis existit aut exsistit.

XDVIII.

Recteque scripsit Grotius de I. B. ac P.
L. II. C. 5. §. 12. n. 1. „ Causas certas ac
„ naturales, cur conjugia eorum, qui san-
„ guine aut affinitate junguntur, ita ut legi-
„ bus

(III.)

„bus aut motibus vetantur, illicita sint, ac
„sigmata qui voluerit, experiendo disset,
„quam id sit difficile, imo praestari non pos-
„sit.”

XDIX.

Quin nequidem ab hac generalitate eximi possunt matrimonia parentum cuiuscumque gradus cum liberis, uti fecit Grotius, d. I. n. 2.

D.

Attamen ratio jubet, ut, in qualibet Societate majore, illi, penes quos arbitrium & imperium est, ejusmodi nuptias prohibeant, quae, si permitterentur, præmatutis, clandestinis, ac domesticis scortationibus locum præberent: hinc recte legislatores hac in re legum Mosaïcarum ac Romanarum normam sequuntur. vid. Phil. Ram, Viri Ampliss., diss. de Incestu.

DL.

Cognubium inter sanguine vel affinitate junctos non prohibetur aliquo pudore, horrore, vel metu naturali.

DII.

Vel falsa sunt, vel nihil efficiunt ea, quae de nonnullis animantibus hanc in rem monuerunt

stant H. Grot. de I. B. ac P. L. II. c. 5. § 12.
n. 5. & Balth. Bonifacius Hist. Ludicr. L. L
c. 4.

D III.

Levitici C. 18. non inter gradus hominum,
illic nominatorum, sed ipsos inter homines,
illic nominatos, nuptiae prohibentur.

D IV.

Amramus re vera suam amitam uxorem
duxisse videtur.

D V.

Nihil necesse est, neque prius existimandum,
inter consobrinos interdici matrimonium.

D VI.

Nullas Ius Naturae sollemnitates requirit
in ineundō matrimonio.

D VII.

Sed ratio docet, tam, utiliter eas in civitatibus constitui, ac publicam nuptiarum mentionem fieri, quam, eas observandas esse, quando constitutae sunt.

D VIII.

Nisi pactis excepta quædam fuerint, uni-
ver-

versalis omnium bonorum communio ac fo-
cietas obtinet inter conjuges.

DIX.

Ita tamen, ut, uxore ignara vel invitata
de bonis communibus, inter vivos, dispo-
nere possit maritus: hoc inscio vel nolente,
non possit uxor.

DX.

Alterutro socio moriente, superstite cedit
omnis bonorum universitas.

DXI.

Natura non jubet, imperare maritum uxori:
quapropter in statu naturae integræ nul-
lum impertum maritale videtur obtainere de-
buisse.

DXII.

Sed hoc ipsum lex divinita positiva univer-
salis constituit, Genes. C. 3. §. 16., & me-
rito; postquam homines ab integritate natu-
rali desciverant.

DXIII.

Eamque legem pactis contrariis collere vel
infringere non licet.

H

DXIV.

(114)

DXIV.

Optimum est, in religione dissentientes
matrimonio non jungi.

DXV.

Quod si matrimonium ineant, patri ius
est, opinione sua peculiari liberos imbuere,
non matri.

DXVI.

Sed lege civili statui potest, ut in eo ca-
su, quando alter profitetur religionem publi-
ce probatam, hac imbuī debeat omnes li-
beri.

DXVII.

Qui tamēn, postquam adoleverint, ipsi
judicare, atque illam amplecti debent, quæ
verissima ipsis videatur.

DXVIII.

Imperium mariti in uxorem tale debet es-
se, quale est socii, majore corporis animi-
que præstantia prædicti, in solum minus ex-
cellentem.

DXIX.

Uxorem, nisi marito sponte p̄f̄stet obse-
quium

quiū & obedientiam in omnibus, quæ legibus divinis, naturalibus ac positivis, haut repugnant, cogendi jus marito competit: attenuamē hic ab omni nimia acerbitate, &, in statu civili, etiam a verberibus abstinere debet.

D X X.

Neutiquam ergo marito jus, uxorem occidendi, vendendi, commodandi, ac prout libitu expellendi, vel naturaliter competit, vel lege civili tribuendum est.

D X X I.

Etiā alias ob caussas, præterquam solum ob adulterium ac malevolam derelictionem, tam jure Naturæ divortium fieri, quam jure civili permitti potest.

D X X I I.

Quāvis enim in statu hominum integrō nullæ divortiorum causæ locum habere potuerint; postquam tamen homines animo & corpore corrupti esse cœperunt, evenit, ut ejusmodi matrimonia nonnumquam copularentur, quæ finibus suis satisfacere non possent, propter impedimentum physicum vel morale: hoc est, sive conjugum alteruter, vel uterque, corpore, sive mente, matrimonio non esset aptus.

H 2

D X X I I I.

(116)

D XXIII.

Impedimentum ejusmodi sicubi reperitur, neque tolli posse videtur, ratio postulat, ut illud matrimonium aut ab initio nullum fuisse declaretur, aut dirimatur.

D XXIV.

Hoc, in statu naturæ, conjugis apti solius voluntate fieri potest, ibique maritus uxorem recte expellit, vel hæc eum deserit, quando casus ejusmodi locum habet: quo non existente, neutri tale jus competit.

D XXV.

Sed in civitatibus hac omni de re communis imperantis arbitrium est, qui, pro civitatis ratione, generali lege, divortiorum jura determinare poterit. Hoc a Mose divinitus factum est inter Israëlitas, Deut. C. 24. §. 1—4.; qua tamen lege simul prudentissime dissuadetur temerarium divortium, quale sibi displicere Deus aperte significavit, Malach. C. 2. §. 14—16.

D XXVI.

Recte facient legislatores, qui nonnihil arbitrio judicum relinquunt in divortii caussis statuendis.

D XXVII.

(117)

D XXVII.

Itaque continuas ob rixas, perpetuos carceres alterutrius, intolerabiles mores, adulterium, insidias vitæ struntas, peccatum Sodomiticum, absentiam diurnam, invito conjugе altero, malevolam derelictionem, negatamque corporis copiam, ab judice, si lex publica patitur, ita concedi potest divor- tium, ut alterutri vel utrique liceat alias nu- ptias contrahere.

D XXVIII.

Sterilitas sola justam divortio caussam non præbet.

D XXIX.

Justa vero caussa est derelictio: si non omnino ex dicto Apostoli, I. Cor. 7, 15; faltem neque contra ejus mentem; & ex ma- trimonii natura.

D XXX.

Frequentia divortia reip. nocent: nec mi- nus separationes tori mensaque, quæ perpe- tuæ fiunt.

D XXXI.

In statu naturali matrimonia solo consensu contrahuntur, & concubitu perficiuntur.

H 3

D XXXII.

DXXXII.

Hinc 1. Sponsalia non differunt a nuptiis, si jus respicimus, quod ex illis oritur,

DXXXIII.

2. Etiam a sponso sponsaque, & in sponsam committitur adulterium,

DXXXIV.

3. Vbi concubitus sequi non potest, ex vi-
tio, quod jam obtinebat tempore consensus
interpositi, nullum est ipso jure matrimo-
nium,

DXXXV.

4. Sin vitium, vel mors, post consensum,
ante concubitum, intercedit, obtinuit ma-
trimonium.

DXXXVI.

5. Igitur, hoc casu conjux superstes in
omnia defuncti bona succedit; non illo; conf.
§. 508, 510.

DXXXVII.

6. Concubinatus, individuam vitæ socie-
tatem continens, a matrimonio non differt;
at-

attamen in civitate, in qua sollemnes ceremoniæ requiruntur ad justas nuptias, merito concubinatus habetur pro scortatione, quam leges naturæ civilesque prohibent.

DXXXVIII.

Neque rationi congrua sunt matrimonia, quæ vel ad tempus, vel tantum procreandi, non etiam cohabitandi animo, contrahuntur; qualia fuisse dicuntur Amazonum.

DXXXIX.

Inter parentes liberosque, tam infantes, quam adultos, quamdiu sunt in familia, vera societas locum habet.

DXL.

Potestas parentum in liberos oritur ex generatione: quia generare non licet, nisi, quod natum est, educetur; nec educari possunt infantes, nisi competit in eos imperium.

DXLI.

Obligatio parentum, educandi alendique liberos, est perfecta, non imperfecta tantum, tam liberorum, quam reliquorum hominum respectu.

DXLII.

Matri potestas eadem competit in liberos, quæ patri, sed hujus arbitrium sequendum est, quandocumque dissentient inter se parentes.

DXLIII.

Hinc, volente patre liberis morbum variolarum dari, patientiam & obsequium mater præstare debet: nolente patre, similiter,

DXLIV.

Si parentes educare liberos non possunt, neque alium reperire, qui suscipere velit educationem; hæc obligatio cum potestate transit in avos aviasque, & adscendentibus reliquo: deinde, in patruos & avunculos, amitas ac materteras: tum in cæteros agnatos cognatosque; denique in cives hominesque omnes.

DXLV.

Possunt vero parentes obligationem educandi, suamque potestatem cum aliis communicare, non prorsus abdicare: potestque parens eaenius liberos adoptandos dare; nec tantum maribus, sed & feminis,

DXLVI.

(121)

DXLVI.

Tutoribus eadem in pupilos, quæ parentibus in liberos, potestas competit.

DXLVII.

Vtrique jure suo pupilos aut infantes ad artem aliquam addiscendam, quin & ad certam religionis formulam discendam, cogere possunt.

DXLVIII.

Ast ubi firmatum est judicium, & homines adoleverunt, quisque pro se cùm de vitæ genere, tum de religione judicare debet.

DXLIX.

Nec minus in uxore ducenda, vel eligendo marito, hæc libertas locum habet: ita ut parentes ampliorem quam suadendi potestatem hac in re sibi sumere non debeant.

D.L.

Itaque validum est, jure naturæ, matrimonium parentibus invitis contractum: oportet tamen, ut filius alere se suosque possit, ac paternam familiam relinquat: neque virtus animi grati, parentibus debiti, patitur, ut his, uxorem ducendo, perpetuam doloris & ægritudinis causam præbeat.

H 5

DLI.

DLI.

Liberis adultis integra libertas est relinquaenda, familiam parentum deserendi, & sibi consulendi: neque tamen absque gravitatione parentum invitorum ædes familiamque relinquere debent.

DLII.

Parentibus potestas est, tam adultos liberos, ac sibi alendis aptos, ædibus expellendi; quam in familia manentibus operas certas imperandi.

DLIII.

In statu naturali parentibus in liberos, in familia viventes, competit jus vitæ necisque; jus liberos vindicandi; & noxae dandi: hoc est, si liberi nocuerunt aliis, eos parentes tradere possunt puniendos his, quibus damnum datum est, iisque permittere, ut tantum ex liberorum operis sibi querant, quantum damni datum est: hoc vero si facere nolint parentes, ipsi punire debent liberos ac damnum sarcire.

DLIV.

In civitatibus jus vitæ necisque parentibus non competit, nisi tacite vel expresse concessum ab Imperante.

DLV.

(123)

DLV;

Parentibus numquam licet, exponere liberos, nequidem si lege civili hoc permittatur: nisi certus locus constitutus fuerit recipiendis & educandis liberis illegitimis vel inopum parentum.

DLVI.

Aedes ejusmodi, liberis illegitimis recipiendis destinatae, necessariae sunt & utiles in civitatibus, in quibus corrupti valde sunt mores, & infantum cædes atque expositiones frequentes: in aliis, noxiæ.

DLVII.

Matri numquam licitum est, fœtum abigere.

DLVIII.

Matres ipſæ suis überibus infantes alere debent. vid. A. Gell. Noct. Attic. L. XII. C. 1., Erasmi Colloq. *Puerpera*, & Ballexferd *sur l'éducation physique*.

DLIX.

Parentes liberis minorenibus non tantum de alimentis, sed & de commodo vitæ genere, bonis moribus, & indole civili, quantum

(124).

tum possunt, prospicere debent: neque nimis illos delicate aut molliter habere: simul etiam in hæc omnia exemplo, & adultis consilio præire.

DLX.

Natura non jubet, ut omnia liberorum bona parentibus adquirantur: sed hi jus administrandi habent, tantumque ex illis percipiendi, quantum ad alendos educandosque liberos requiritur.

DLXI.

Non iniquæ sunt leges, quæ vel filias enubtas, vel liberos emancipatos hereditate parentum excludunt; contra Heinecc. El. I. N. & G. L. II. §. 72. schol.

DLXII.

Liberi parentibus indigis alimenta præstare debent ex officio grati animi, non ex obligatione perfecta.

DLXIII.

Majorennis ex Iure Naturæ censendus est is, qui sibi prospicere potest: neque alium terminum ætati minori natura posuit.

DLXIV.

DLXIV.

Servitus mercenaria non repugnat Iuri vel æquitati naturali; sive perpetua; sive temporaria ponatur; ac sive sola vestis, habitatio, & alimenta mercedem constituant, sive præterea certa pecunia solvatur.

DLXV.

Perperam statuitur, i. posse dominium aliquod in ipsam servi personam locum habere: ii. posse hoc adquiri justo titulo: iii. fundamentum hoc esse servitutis obnoxiae: iv. sic distinctam esse servitutem obnoxiam a mercenaria, ut in illa servo sola debeantur alimenta, in hac præterea certa merces: contra Heinecc. l. c. §. 77.

DLXVI.

Servitus etiam ante diluvium obtinuisse videtur.

DLXVII.

Servitus obnoxia est, in qua servus magis instar rei, quam hominis spectatur: hæc vero Iuri Naturæ repugnat.

DLXVIII.

(126)

DLXVIII.

Omnis justa servitus hominum adulterorum
a pacto dicit originem.

DLIX.

Etenim servorum liberi pro alimentis sibi
præstitis indemnum suis operis dominum pa-
rentum præstare debent: sed hoc ubi fece-
rint, vel alius pro ipsis, integra libertas illis
est concedenda. add. §. 572.

DLXX.

Quamvis itaque nullos natura servos effi-
ciat, vel esse jubeat; recte tamen Aristote-
les, Politic. L. I. C. 2., dixit, quosdam ho-
mines natura esse servos, id est, ad servitu-
tem aptos: uti recte Grot. de I. B. ac P. L.
I. C. 3. §. 8. n. 4. — vid. D. Heinsii Epi-
stola ad Georg. Richterum, (edita in Rut-
gersii variis Lectionib., Heinsii Orationib.,
Richteri Orationibus, Richteri Epistolis p.
133. sqq., & in Riccii Vindiciis Iuris, repe-
titis in Ottonis Thes. Iur. T. II. p. 804. sq.)
& Heineccius l. c. §. 78. schol.

DLXXI.

Neque Iuri Naturæ congruum est, hostes
devictos occidere, neque in obnoxiam ser-
vi-

(127)

vitutem detrudere, siquidem alio modo periculum ab ipsis inminens caveri potest.

DLXXII.

Multo minus in eadem servitute servorum liberi detinendi sunt: sed dominus vernas, libertatis cupidos, alimentorum pretio restituto, manu debet emittere. vid. §. 569.

DLXXIII.

Neque semper ab ineundo matrimonio servi sunt arcendi.

DLXXIV.

Servos verberibus castigandi potestas in civitate dominis non competit; nisi tacite vel expresse permittente principe.

DLXXV.

Si servus pacti conditionibus non satisfacit, dominus illum partim, vel omni mercede privare, suisque ædibus pellere potest.

DLXXVI.

Si fidem frangit dominus, in statu naturali servus au fugere vel bello contra dominum experiri potest; in civitate, dominum actione convenire.

DLXXVII.

(128)

DLXXVII.

Dominus servum invitum manumittere, vendere vel donare non potest, nec testamento, vel intestatus, successori relinquere.

DLXXVIII.

Servis utilius est aliquando, servitutem continuare, quam manumitti. Prius etiam servis Græcorum sui temporis suassisse videtur Apostolus Epist. I. ad Corinth. C. 7. §. 21., quam ita capienda censemus, cum Gebauero, in Vestigiis Iuris German. Antiquiss., Diff. X. p. 379. fqq., ut dicatur: *Servus vocatus es? hoc tibi curæ non sit. Quin imo, si potes liber fieri, potius conditione, quae es, porro utere.*

DLXXIX.

Servitus enim, etiam perfecta, libertati vel religioni Christianæ contraria non est; sed obnoxia servitus huic repugnat.

DLXXX.

Nec tanti sunt, quæ Busbequius, Epist. 3. de rebus Turcicis, adulit, ut per sublatam ex Europæorum usu servitutem plura commoda perdita, plura incommoda nata fuisse credamus, quam erant antea: quamvis hoc etiam cre-

credant Treuer. ad Pufend. de O. H. & C. L. II. C. 4. §. 1. & Gebauer. I. c. p. 389. sqq.

DLXXXI.

Nihil obstat, quo minus & servus aliquid proprium habeat, sibiique adquirat: quod si nihil habeat, & ægrotet, & neque a suis ali possit, neque a communitate, ad quam pertinet ipse aut dominus, a domino curandus & aleandus est.

DLXXXII.

Domino neque arbitratia potestas est occidendi servum; nec, in civitate, jus vitae necisque, hoc est, facultas ob delictum occidendi servum, dominis relinquenda est.

DLXXXIII.

Hoc autem jus in statu naturali dominis competit.

DLXXXIV.

Servitus obnoxia apud Hebreos in usu non fuit, nisi per modum necessariæ retorsionis, quo casu populi quoque Europæi captivos in servitutem detrudere solent nonnumquam; ut docet Ampliss. C. van Bynkershoek, Quæst. Iur. Publ. L. I. C. 3. p. 20.

DLXXXV.

Iuri Naturæ contrarium est, servum dælietum occupatione posse adquiri, quod apud Romanos tamen obtinuit. Vid. Barbeir. ad Grot. de I. B. ac P. L. II. Cap. 9. §. 1.

DLXXXVI.

Si servus alteri nocuerit, damnum a domino sarcieendum, vel servus noxae dandus est: contra, si pauperiem fecerit quadrupes. v. Barbeir. ad Grot. L. II. C. 17. §. 21.

DLXXXVII.

Familia est societas duorum pluriumve hominum, felicitatem domesticam communibus viribus promovere conantium.

DLXXXVIII.

Imperium familiæ simul uxori cum marito competit; sed in dissensu hæc illi se submittere debet.

DLXXXIX.

Si frater ac soror, vel alii duo homines opera juncta familiam erigunt, hæc ab omnibus conjunctim est administranda: &, in dissensu, si plures sint, plurimum; si duo, natu-

ma-

majoris sententia prævalere debet, nisi aliter paciscantur.

DXC.

Familiae segreges in statu naturali eodem iure utuntur, quo civitates integræ.

DXCI.

Inter ejusdem familie socios, nisi convenierit aliter, omnium bonorum communio obtinet, ac pars socii morientis accrescit superstitibus.

DXCII.

Familiae plures unis in aliis vivere possunt.

DXCIII.

Omnia familiæ membra felicitatem domesticam omni ope promovere debent.

DXCIV.

Statu naturali multis modis præstat status civilis.

DXCV.

Ineundæ primum civitati societas venatoria dedisse videtur occasionem; caussam vere dedit necessaria litium decisio judicialis.

DXCVI.

Hinc recte justitiae fruendae ergo civitates constitutae dicuntur: vel securitatis caussa.

DXCVII.

Multæ quoque, nec omnes tamen, civitates ex familiis majoribus ortæ videntur; aliæ imitandi studio coaluisse.

DXCVIII.

Neque ergo civitatis constituendæ caussa sola fuit indigentia; neque civilis hominum indoles; neque studium abundantiaæ mediorum augendæ felicitatis, vel satisfaciendi obligationibus naturalibus; neque vis improborum, sive latronum, sive venatorum.

DXCIX.

Finis civitatis est civium salus, sive securitas ac felicitas.

DC.

Recte se habet definitio Grotii, de I. B. ac P. L. I. C. i. §. 14., scribentis: „ Civitas est cœtus perfectus liberorum hominum, juris fruendi & communis utilitatis caussa sociatus.”

DCI.

(133)

DCI.

Societates, ad vim inferendam, & innocentes obprimendos, initae, civitates non sunt.

DCII.

Hoc tamen honore ac nomine privandi non sunt Tunetani, Tripolitani, Algerienses, & Salæenses, in Africa. vid. Grot. de I. B. ac P. L. III. C. 3. §. 1. 2. & Bynkersh. Quæst. Iur. Publ. L. I. C. 17. p. 124. sq.

DCIII.

Quot homines ad civitatem requirantur, definiri non potest: tot esse sufficit, quot ad finem civitatis obtainendum requiruntur.

DCIV.

Perperam vulgo putatur Apulejus, in Apolog. p. 304. edit. Elmenhorst., statuisse, quindecim homines liberos constituere populum; cum *populi* nomine nihil significare voluerit aliud, nisi magnam (testium) turbam, quo sensu vox illa & alibi occurrit apud Apulejum, aliquoque, ut docet Pontan. ad Macrob. Saturn. L. VII. C. 1. p. 404. edit. Gro nov.

I 3

DCV.

DCV.

Civitas esse potest absque urbe, vel urbis:
imo absque certo loco, quo habitat.

DCVI.

Non potest diu, sed aliquamdiu, civitas
esse sine familiis, in quibus uxores sint & li-
beri nascantur.

DCVII.

Societas latronum, civitas evadere potest,
ac, vicissim, civitas in societatem latronum
degenerare potest.

DCVIII.

Qui nati sunt in civitate, ejusque socii
manent, postquam adoleverint, hi non ex
präsumto, sed ex tacito consensu, id est,
ipsis declarato factis, ciues sunt, & obli-
gantur ad civitatis fines promovendos.

DCIX.

Cives omnes, ex ipso pacti civici natura,
obligantur ad civitatem, absque Imperantis
expresso tacitove consensu non relinquen-
dam.

DCX.

(135)

DCX.

In omni civitate constituenda , sive ultiro ,
sive vi prægressa consensus interponatur , duo
semper intercedunt pacta , quibus interponi-
tur decretum de forma regiminis .

DCXI.

Feminas ab imperio civili excludi , non
est iniquum .

DCXII.

Obligatio legum civilium externa quidem
est , sed quæ ntitur obligatione interna du-
plici ; altera , ex utilitate ipsarum legum ; al-
tera , ex pacto civico nata .

DCXIII.

Hinc est , quod i. optime S. Paulus præ-
cipit , ad Rom. C. 13. §. 5., obediendum
esse Imperanti , non tantum propter iram ,
seu poenæ metum ; sed & propter conscienciam ,
sive obligationem internam , & ex vir-
tutis amore .

DCXIV.

2. Recte lex civilis appellatur πόλεως οὐρ-
σίη ταῦτα , communis sponsio , seu commu-

ne pactum, *civitatis*, a Demosthene: vid.
lex 2. D. de Legib. (L. I. tit. 3.)

DCXV.

3. Leges civiles, etiam absque sanctione
poenali expresse addita, cives omnes obligant
perfecte: ac semper vel ignominia delinquen-
tium, vel extraordinaria & arbitraria poena
sanctitatem fuisse intelligendae sunt: lex igitur,
imperfecta quae dicitur, alio sensu simul per-
fecta est. (§. 677. 682.)

DCXVI.

Quidquid contra legem fit, id, regulari-
ter, ipso jure nullum est.

DCXVII.

Civitates omnes ab initio democraticae sunt.

DCXVIII.

Simplices rerum publicarum formae sunt
tres: quae si solae regulares putantur, irregu-
lares formae non sunt eadem quae vitiosae: me-
lius tamen mixtae, seu compositae vocantur.

DCXIX.

Mixtae rerum publicarum formae plerum-
que simplicibus anteponendae sunt.

DCXX.

DCXX.

Ex simplicibus quænam optima sit feip. forma, non potest universe definiri.

DCXXI.

Mixtas inter civitates optima ratio videtur illarum, in quibus ex tribus simplicibus aliquid obtinet.

DCXXII.

Boni viri atque civis est, ab una parte, suæ civitatis errores ac vitia prudenter indicare & emendare; simili tamen, ab altera parte, præsentem reip. statum, quatenus vitiatus non est, tueri eumque mutatum nolle: quod, optime, post Salomonem, Proverb. C. 24. §. 4. sq., præcepit Augustus, apud Macrob. Saturn. L. II. C. 4., & alii vid, Grot. de I. B. ac P. L. II. C. 4. §. 8. n. 3.

DCXXIII.

Regnum limitatum, legibusque fundamentalibus circumscriptum, plerumque præstat absoluto.

DCXXIV.

Systema civitatum non est, ubi Rex unus duabus pluribusve præest civitatibus.

DCXXV.

Quemlibet honoris titulum sibi Rex, vel Regi suo populus tribuere potest; sed nullo jure populum alterum cogere, ut hunc titulum agnoscat.

DCXXVI.

Nullam ergo, secundum solum Naturæ jus, Imperator præ Rege, vel hic præ Principe, qui regia potestate gaudet, prærogativam sibi potest adrogare, nisi suo in territorio: in hoc autem & Princeps Regi, & Rex Imperatori præfertur.

DCXXVII.

Imo neque civis alterius imperii, Regi vel Imperatori, extra suum degenti territorium, locum priorem debet, nisi ex humanitate.

DCXXVIII.

Imperium summum & temporarium & limitatum esse potest. v. Grot. L. I. C. 3. §. II. n. 2. & §. 16.

DCXXIX.

Imperans legitimus est, qui jus imperandi ex populi voluntate nactus est, & qui summa

mum imperium secundum civitatis finem administrat.

DCXXX.

Tyrannus est imperans ejusmodi, in quo deficit alterutrum, vel utrumque,

DCXXX.

Tyrannus esse potest vel titulo; qui quidem secundum finem civitatis imperat, sed jure imperandi destituitur: vel administratio-ne; qui quidem ad imperium jure pervenit, sed salutem populi negligit, atque laedit: vel utroque modo simul.

DCXXXII.

Prior ille jure potest imperio privari, quamdiu populus in ejus imperium nec expresse nec tacite consensit: alter, & tertius, quandocumque occasio est.

DCXXXIII.

Atamen princeps non ante tyrannus & hostis reip. putandus est, nisi postquam I. major, quantum intelligi potest, populi pars ita censuerit: II. hoc principe salvo civitas salva esse non posse videatur: & III. hic continua factorum tyrannicorum serie declaraverit animum hostilem.

DCXXXIV.

DC XXXIV.

Tyrannus, titulo tenus, fuit Julius Cæsar, injuria tamen occisus: quippe, cum occidebatur, non amplius erat tyrannus.

DC XXXV.

Iure cæsus est Eglon ab Ehude: nec tamen hujus factum aliter, quam expresso mandato divino defendi posse videtur: quod ubi deest, hoc factum ad imitandum proponi non debet.

DC XXXVI.

In rebuspubl. mixtæ formæ possunt ita quoque jura majestatis dividi, ut unus ordo possit aliquid invito vel inscio altero statuere, cui deinde placito parere debeant omnes: contra Heinecc. El. I. & G. L. II. §. 126.

DC XXXVII.

Civitatum Systema rectissime definitum est a G. G. Titio, in Specim. Iur. Publ. Rom. Germ. L. VII. C. 7. §. 34. p. 737., & in Obs. 589. ad Pufend. de Off. Hom. & Civ. L. II. C. 8. 13. p. 708., tamquam „ Corpus civile, ex pluribus civitatibus ita compositum, ut unaquæque civitas summum, „ ac plerumque etiam plenum, imperium ha-

„ habeat, sed ita limitatum, ut quædam ejus
 „ partes conjunctim ab omnibus sint exer-
 „ cendæ.”

DCXXXVIII.

Neque igitur una civitas efficitur per con-
 junctionem ejusmodi, quod docere conatus
 est Io. Christoph. Struchtmeyer, de Repu-
 blica Libris II., (Traj. ad Rhen. 1762: 4to.);
 neque singulæ civitates plerumque semet ali-
 quo majestatis jure prorsus abdicant; neque,
 si per fœdus sub rege communi sociantur,
 necesse est, ut, præter hunc, etiam eom-
 munia habeantur Comitia; quod postremum
 aliter Heinuccio visum est, l. c. §. 127.

DCXXXIX.

Neque necesse est, ut delegati ad com-
 mune Concilium, omnibus de rebus, ad com-
 munem securitatem pertinentibus, antequam
 aliquid statuatur certi, prius ad suas civitates
 referant; contra, quam Heinccc. ibid. exi-
 git: atque in ejusmodi conventu non tantum
 de rebus ad securitatem, sed & de rebus ad
 felicitatem sociorum communem pertinen-
 bus deliberandum est.

DCXL.

Civitates duodecim Israëliticæ, ante Re-
 ges,

ges, constituebant unum Systema: quemadmodum & illæ civitates Græciæ, quæ Pythagoras mittebant ad concilium Amphictyonum, τὸ Ἀμφικτυονικὸν σύστημα dictum Straboni, Geogr. L. IX. p. m. 420. A., & illæ, quæ ad foedus Achaicum pertinebant.

DCXL.I.

Civitates Belgicæ septem, foedere Trajetino, An. cīcīcīlxxviii., junctæ, cum maxime constituunt unum systema civitatum, ut & duodecim civitates Helveticæ.

DCXL.II.

Non minus monarchomachorum, quam monarcholatrarum, qui Machiavellistæ perperam vocari vulgo solent, at Hobbesiani rectius vocarentur, error repudiandus est.

DCXL.III.

Errant enim, qui populum principe semper superiorē esse, populoque, absque principe, majestatem aliquam realem semper competere censem.

DCXL.IV.

Neque enim recte se habet distinctio inter majestatem realem ac personalem.

DCXL.V.

DCXLV.

Neque populus umquam imperantem ultimo suppicio publice debet afficere.

DCXLVI.

Graviter errant & illi, qui Principibus omnia licere, & his obedientiam, quam vocant, passivam a subjectis prestandam esse, dicitant.

DCXLVII.

Neque hi, tamquam idoneum opinionis suæ fundamentum, locum ex Samuel. L. I. C. 8. §. 11. sqq. allegare possunt, qui potius de more pravo, quam vel de jure quodam, vel de dominio eminente, capiendus est.

DCXLVIII.

Neque maiestatis inter homines origo immediate divina est; neque, si talis esset, hinc recte colligi posset, Imperanti numquam esse resistendum.

DCXLIX.

Sacrefanci quidem Imperantes recte dicuntur: neque tamen hinc recte inferas, illos, qui legitime aliquando imperarunt, ubi in

in tyrannos ipsi degenerarunt, imperium abrogari non posse.

DCL.

Semper tamen abstinentium est, quantum fieri potest, ab omni cæde regis: quamobrem laudandus est Davides, quamvis non ex animi sola magnitudine, sed & ex officio, Sauli pepercerit: nec tamen in omnibus imitandus, ubi non eadem est divina promissio.

DCLI.

Non minus ubi successione, quam ubi per electionem ad regnum pervenitur, omne jus Imperantis a populo delatum est, tamquam causa proxima & immediata.

DCLII.

Hinc neque in imperio administrando, neque in successore vel tutore designando, plus juris Imperanti competit in regno successivo, quam in electivo; sed utrobique tantundem

DCLIII.

Neque ergo successorem sibi constituere, neque a populo designatum jure suo privare, neque de successione in regnum testamento disponere, neque filium ita exheredare, ne succedat in regnum, rex potest.

DCLIV.

(145)

DCLIV.

Electione non legitime facta, lectus Imperans est tyrannus titulo, neque jus imperandi habet.

DCLV.

Attamen electio illegitima per populi ratificationem effici legitima potest, & per hanc ratificationem simul confirmantur, quæ ante eam a tyranno gesta sunt.

DCLVI.

Plerumque magis e republica est, successione, quam electione, ad imperium perveniri.

DCLVII.

In interregno, quamvis nullus adsit interrex, durat tamen civitas, neque civibus e civitate discedere licet, non impetrata venia: civitatis enim forma vel aristocratica, vel democratica semper adest, vel mixta, deficiente rege.

DCLVIII.

Nemo jure constituit Interregem, nisi cui jus est eligendi Regem.

K

DCLIX.

DCLIX.

Si placuerit imperii regii forma successiva, primusque, ut fieri solet, electus fuerit rex; non regina; neque modus succedendi fuerit definitus; filius, sive partem hereditatis parentum capiat, sive minus; excludet filiam: non propter rationes ab Heineccio (El. I. N. & G. L. II. §. 143.) adlatas, quæ validæ non videntur; sed propter tacitam populari voluntatem, facto semel declaratam.

DCLX.

Imo numquam admittendam ad successione in regnum filiam esse judicamus; nisi populus expressè vel tacite significaverit, se filias admitti velle.

DCLXI.

Regnum inter regis defuncti liberos numquā ex jure succedendi dividendum est; sed natū major filius omnes excludit reliquos, quamvis minus aptus esse regno forte videatur, modo non prorsus sit ineptus.

DCLXII.

Vtilius est, obtinere in regnis hereditariis successionem linealem, quam eam, quæ est ex gradus propinquitate: nec tamen illa necessario obtinet atque ipso jure.

DCLXIII.

DCLXIII.

Nihil umquam Lex Salica dispositum de successione in regnum.

DCLXIV.

Nec tamen iniquum, imo justum etiam est ex antiqua consuetudine, &c., quæ ex ea colligitur, tacita populi voluntate, feminas ab regno Gallico excludi.

DCLXV.

Sed easdem admitti, ubi contraria consuetudo ac populi voluntas est, æque justum est: idque sive prius extinctis masculis, sive superstitibus adhuc.

DCLXVI.

Vbi successio linealis, etiam cognatica, est recepta, postquam extincta est linea regnatrix, regnum ad alteram ejusdem familie lineam, a masculo descendenter, & quidem ad virum ex ea linea, transire debet: ubi vero nemo superest in ea linea masculus, non erit eundum ad feminam in ea linea; sed prius ex tertia linea vir, cum suis descendentibus, admittetur.

DCLXVII.

Filius natu major, patre natus nondum rege, præferendus est in successione filio alteri, nato, patre jam rege.

DCLXVIII.

Quando duo pluresve sibi succedendi jus adrogant, dirimere litem solus potest ac debet populus. vid. Barb. ad Grot. de I. B. ac P. L. II. C. 7. §. 27.

DCLXIX.

Bello, qua tali, numquam imperium adquiritur, sed demum per subsequentem, occasione belli, transactionem inter populum ac victorem.

DCLXX.

Ferri quidem & intelligi potest distinctio Grotii, de I. B. ac P. L. III. C. 8. §. 1. n. 3.
 „ Imperium adquiri posse viatori, vel tantum, ut est in rege, — vel etiam ut in populo est:” nec tamen utilitatem aliquam adfert; neque efficit, ut, in posteriore casu, viator imperium alienare possit. vid. Heinecc. El. I. N. & G. L. II. §. 146. schol.

DCLXXI.

(149)

DCLXXI.

Regna patrimonialia , quamvis exsistere possint , exsistunt tamen nulla ; neque umquam Imperanti licet , imperium omne , vel partim , alienare , nisi populo , vel expresse , vel tacite , consentiente .

DCLXXII.

Neque , populo dissentiente , Rex imperio se potest abdicare .

DCLXXIII.

Iura maiestatis haut recte *Regalia* vocantur : neque , secundum hanc adpellationem , recte distinguuntur in majora ac minor a . vid . Heinecc . El . I . N . & G . L . H . § . 135 .

DCLXXIV.

Competit Imperanti jus leges ferendi , abrogandi , dispensandi a legibus , & aggratandi , sive pœnam remittendi ; etiam homicidii dolosi : quamvis hoc rarissime fieri salus publica jubeat .

DCLXXV.

Leges ferendæ non sunt mere arbitriæ , sed ex utilitate civitatis : atque in ipsa civita-

K 3 tis

tis natura fundate: & haec tenus leges civiles simul sunt naturales.

DCLXXVI.

Cives credere semper debent, Imperantem, legibus a se lati's, promovere publicam salutem: adeoque simpliciter obedire debent, & credere, legem, ab Imperante promulgatam, esse justam, utilem, aequam; neque de ejus ratione solliciti esse: nisi ut tanto melius legem intelligent, eique obtemperent.

DCLXXVII.

Legi rationem addi, saepe utile est; numquam tamen necessarium: atque lex perfecte cives obligat; etiam si nulla ratio, vel sanctio pœnalis adjecta fuerit (§. 615. 682.).

DCLXXVIII.

Quod si tamen aut iniqua lex, aut absurda feratur, q'bedire subjecti non debent; sed hoc casu spegnere poterunt Imperantem; illo, monere debent.

DCLXXIX.

Nihil necesse est, ut omnes vel aliquæ leges convenient cum lege divina positiva particulari, quondam Hebreis promulgata: *sed*

utiliter aliquid ab eis diversum, iisque contrarium statui potest.

D CLXXX.

Si quid legi naturali, vel divinæ positivæ universalis contrarium edicatur, parendum non est.

D CLXXXI.

Nec probabilis, neque utilis est sententia Scoti, a qua non alienus est H. Grotius (de I. B. ac P. L. II. C. 1. §. 14.), „fas non esse, quemquam ad mortem damnare, nisi ob delicta, quæ lex, per Mosem data, morte punivit:” nequidem, et si addatur, quod Grotius jubet, „aut quæ his paria sunt recta aestimatione”. vid. Sande Decis. L. V. tit. 9. def. 9. collato A. Matth. de Criminib. L. XLVII. tit. 1. C. 2. §. 6.

D CLXXXII.

Sanctio, proprie, non est pars legis (§. 615. 677.).

D CLXXXIII.

Præmia lege civili promitti raro possunt.

D CLXXXIV.

Pœna criminis cuiuslibet lege civili definienda est, nec arbitrio judicis relinquenda;

K 4 per-

permittendum tamen, ut, pro variis rerum rationibus, aliquando mitius puniat judex; non gravius, nisi sciente & volente Imperante.

D C LXXXV.

Potestas judicandi non minus Imperanti competit, quam potestas legislatoria: neque Imperans, dum *jus* dicit, in propria causa judicat.

D C LXXXVI.

Pœna recte satis a Grotio, de I. B. ae P. L. II. C. 20. §. 1., dicitur, generali significatu, esse „ malum passionis, quod infligi tur ob malum actionis:” neque addendum est: „ ab eo, cui jus est illud infligendi:” uti voluit Goodricke de Iure Puniendo P. I. p. 7., recte negans, p. 29., addendum esse „ a superiore.”

D C LXXXVII.

Continet enim hæc notio pœnam omnem, divinam & humanam; illam, sive naturalem, sive positivam; hanc, tam injustam, quam justam,

D C LXXXVIII.

Injusta pœna est, quæ vel ab eo infligitur;

tur, qui puniendi jure destituitur; vel gravior, quam pro criminis ratione, aut legem ferentis voluntate.

DCLXXXIX.

Pœna humana potest etiam inter pares locum habere, in statu naturali, atque inter populos liberos: hinc justum esse potest bellum punitivum.

DCXC.

Quippe jus puniendi non nascitur ex conventione: fed ex jure securitatis, atque si vel alterius defendendi.

DCXCI.

Pœnarum humanarum finis est, securitas futura: non expiatio criminis, sive satisfactio justitiae divinæ, vel ut Iæsus honos legislatoris in integrum restituatur.

DCXCII.

Imo ne quidem de Deo satis recte dicitur, eum impios punire non alio fine, quam ut puniat; vel solo summi dominii jure; cum Grotio de I. B. ac P. L. II. C. 20. §. 4. n. 2.

DCXCIII.

Neque probatur hæc sententia loco Salomonis, Proverb. C. XVI. §. 4., de quo vid. præf. ad Syntagma Differt. ad Philos. Mor. pertin. p. 86. in adnot.

DCXCIV.

Pœnæ capitales non omnino videntur e civitate tollendæ; sed sæpe utiles esse, sæpe necessariæ.

DCXCV.

Nec tamen marito, patri, vel domino competit occidendi facultas, in civitate, nisi volente Imperante.

DCXCVI.

Turpis est vindictæ cupiditas; non vero puniendi: hinc nihil inhonesti habet accusatoris publici minus; imo carnificis munus non valde inhonestum habendum est.

DCXCVII.

Delinquens obligatus est ad poenam justam patiendam: & ad indicandam judici veritatem earum rerum, de quibus interrogatur: non ad id, ut ipse se deferat.

DCXCVIII.

(155)

DCXC VIII.

Ne quidem obligatus est unusquisque ad alios deferendos : perfecte numquam ad id obligatur civis , nisi jubente Imperante ; imperfecte , tum demum , quando salus publica hoc ipsi videtur exigere .

DCXC IX.

Quamvis igitur injustum non fuerit illatum Francisco , Iac. Augusti filio , Thuano supplicium ; dura tamen est amicum deferendi necessitas . Rem referunt Aitzema Hist. L. V. p. 432. 436. 439. sqq. Auctor *der. Algem. Europ. Hist.* Vol. VI. p. 64. Cattenburgh in vita Grotii p. 315. & Schorer ad Grotii Introd. L. III. tit. 27. §. 14.

DCC.

Pœnæ sic delictis respondere debent , ut his præveniendis sufficere videantur : sive tales esse , ut ardor delinquendi per eas extinguitur aut saltem reprimatur .

DCCI.

Necessarium & utile civitati nonnumquam esse potest , homicidio , adulterio , bigamia , audaci vel simplici furto , abigeatui , plagio , & amoribus nefandis capitalem pœnam statuere .

DCCII.

DCCII.

Sed ubi pœna non capitalis audaciæ delinquentium reprimendæ sufficit, infligenda non est pœna capitum.

DCCIII.

Ad pœnam justam, etiam capitalem, infligendam nihil necesse est, ut lege civili sancta fuerit in his delictis, quæ per ipsum Naturæ jus prohibita sunt.

DCCIV.

Puniendus non est nisi delinquens, non ejus liberi vel cognati: sed ex universitate quadam delinquentे puniri possunt, qui dissensum a delicto non significarunt, quamvis ipsi non deliquerint: hinc justæ sunt represaliæ ac retorsiones.

DCCV.

Talionis pœna raro poterit utilis esse, vel adæquata delicto.

DCCVI.

Culibet peccato ineſt transgressio legis; & haec tenus omnia delicta sunt paria: vid. Ciceron. Parad. 3.: nec tamen omnia pari pœna punienda sunt; quod neque Cicero voluit,
d. I.

d. l. C. 2.; quoniam unum magis altero deflectit ab recti norma; & hactenus omnia delicta non sunt paria. vid. Budd. de Errorib. Stoic. Exerc. II. §. 12. in Analect. Hist. Philos. p. 150. sqq.

DCCVII.

Vana Stoicorum subtilitas est, ignoscere sapientem posse, negantium, ajentium vero, posse illum parcere. vid. Grot. de I. B. ac P. L. II. C. 20. §. 23. & Budd. l. c. §. 13. p. 154. sqq.

DCCVIII.

Cavendum est, quantum fieri potest, et ne puniti propter crimina leviora; et ne punitorum cognati notentur infamia.

DCCIX.

Caveat unusquisque sibi, cum, ne quem minoris aestimet propter cognati delictum aut pœnam, vel propter pœnam injuste irrogatum: tum, ne facile credat, injustam esse sententiam, ab legitimo judice latam.

DCCX.

Recte ICTus Marcellus, in l. 22. D. de bis, qui notantur infamia, (L. III. tit. 2.), ne-

negat, pœnam esse, quæ infamiam importet, sed hoc fieri ait, per causam, propter quam quis pœnam meruit, si hæc caussa fuit ejusmodi, quæ infamiam irrogat damnato.

DCCXI.

Quæstio per tormenta, caute adhibita, neque juri naturali, neque æquitati, neque prudenter legislatoriæ repugnat.

DCCXII.

Quippe, uti civitatis interest, criminâ non nulla capitali supplicio puniri, sic civium interest, ne quis ad mortem damnetur, nisi confessus.

DCCXIII.

Ac civitati, seu imperanti, jus competit exigendi, ut, qui legitime rogatur ab judice, respondeat: & ad responzionem veram efficace remedio cogendi.

DCCXIV.

Nullum autem efficacius remedium hanc in rem excogitari posse videtur, quam dolor corporis.

DCCXV.

Proscribendum enim est a caussis crimina-libus

libus iurandum subpletorium ac purgatorium.

D C C X V I .

Nec probandum, quod suadent non nulli, ut tamdiu rei carcere conclusi teneantur, donec fateantur ipsis, vel eorum innocentia patescat.

D C C X V I I .

„ M. Cato , in Hispania , quia ad hostium „ consilia alia via p̄venire non poterat , „ jussit trecentos milites simul impetum fa- „ cere in stationem hostium , raptumque u- „ num ex his in castra perferre incolumem . „ Tortus ille omnia suorum arcana confessus „ est . ” Ita refert S. Iul. Frontinus Strateg. L. I. C. 2. §. 5. — quod facinus non injus- tum , sed inhumanum & imprudens , neque adeo laudandum vel imitandum est .

D C C X V I I I .

Cautiones adhibendae in tormentis haे sunt : I. Quod ad delicta : ut constet , 1. delictum gravius re vera patratum fuisse ; quod 2. vel capitale sit , vel sātem pœna corporali coēr- cendum ; quodque 3. publicæ securitatis ad- modum interest , detegi ac puniri : II. Quod ad delinquentes : 1. ut gravissima suspicio- pre-

premantur. 2. alia via veritatis indagandæ, vel confessionis adipiscendæ non adsit. 3. ipsorum corpori parcatur, nec sanitas periclitetur.

D C C X I X .

Iustum et utile est Edictum Ordinum Hol-
landiæ , d. 17. Junii, an. 1718. „ ne cui
„ facinoroſo , jam ſemel publica pœna cor-
„ porali adfecto , provocandi facultas fit.”

D C C X X .

Dura, aspera, et iniqua eſt lex 5. C. *ad Leg. Iul. Majeſt.* (L. IX. t. 8.); non i-
uſta.

D C C X I .

Quamquam plerique absolvendum ac di-
mittendum eſſe ceneant, qui crimen capi-
tale de ſe falſo confeffus fuerint (vid. Z. Hu-
ber. Obs: Rer. Iud. P. I. p. 451.); tutius
tamen erit, ac iustum eſſe videtur, eum er-
gastulo inclusum teneri, donec ratio confeffio-
niſ falſæ ceſſaverit: quia periculum eſt, ne,
qui ſibi non pepercit, neque aliis ſit parci-
turus (l. 3. §. 5. *D. de bonis eorū, qui ante*
ſentent. L. XLVIII. tit. 21.): ſive, ne, qui
adversus ſe ausus eſt inire mortis confilia, ni-
hil non in alium ſit ausurus (l. 23. §. 3. *D.*
de Aedil. edict. L. XXI. tit. 1.).

D C C X X I I .

DCCXXII.

Quos torqueri jura vētant, illi ne quidem
minus tormentorum terrendi sunt: quod si
enim hoc jus ipsis innocuerit, nihil efficient
minē: sī minus, idem sāpe, quod ipsa
quæstio, efficient.

DCCXXIII.

Neque rēos ad indicandos socios, neque
testes aut accusatores ad indicandam verita-
tem adigi tormentis, æquum aut tutum est.

DCCXXIV.

Reus in eculeo confessus, si deinde dicta
revocat, judicandum est, utrum ex impuni-
tatis spe, an ex doloris impatientia recūcare
videatur: illo easū, cruciandus iterum; non
hoc.

DCCXXV.

Dominium eminens potius, quam impe-
rium, dicendum est jus Imperanti compe-
tens, bona civium usib⁹ publicis adhibendi.
vid. præf. ad Grot. de I. B. ac P. edit. noviss.
§. 10. p. 24.

DCCXXVI.

Continetur hoc ius in imperio summo,
L cuius

cujus pars est, ut recte statuit Grot. de I. B.
ac P. L. I. C. 3. §. 6. n. 2.

DCCXXVII.

Sarcienda est de publico jactura, quam
quis ob hanc caussam fecit.

DCCXXVIII.

Néque minus ob utilitatem, & hinc etiam
amœnitatem aliquando publicam, quam pro-
pter necessitatem hoc jure Imperans uti po-
test.

DCCXXIX.

Sed amœnitatis propriæ caussa civibus ex-
torquere possessiones Rex jure non potest;
nec defendi conjux Achabi, in eo facto,
quod refertur Regum L. I. C. 21.

DCCXXX.

Nec juste Imperans aut Dominus vasallo
feudum invito, tamquam eminentis dominii
jure, potest eripere.

DCCXXXI.

Si construendus publice sit aquæductus,
eumque per fundum suum duci vetet aliquis,
dum æque commode per alterius fundum
suum

sum vendere volentis, agrum duci potest; hoc faciendum est: factumque videtur a Censoribus apud Livium L. XL. C. 51.; non ita in Senatu causia acta vel decisa fuisse, ut retulit Boxhorn. Disquisit. Politt. Cas. 31. p. 128. sqq. — sin alia commode duci nequeat, adimendus est ager domino, pretiumque ei boni viri arbitratu restituendum.

DCCXXXII.

Laudanda non semper foret tanta Imperantis verecundia, quanta fuit in Augusto, qui forum angustius fecit, non ausus extorquere possessoribus proximas domos, referente Suet. in vit. Aug. C. 56.

DCEXXXIII.

Nec improbandum est, in institutione Academiae Leidensis, magistratibus concessam fuisse potestatem, aedes aliaque loca publica privataque, soluto dominis privatis pretio, destruendi & occupandi, non modo ad Academiae exstructionem, sed & ad ornamentum, aut studiosorum amoenitatem; quod reprobat Bynkersh. Quæst. Iur. Publ. L. II. C. 15.

p. 295.

DCCXXXIV.

Iubente necessitate, vel insigni civitatis utilitate.

L. 2

tilitate non minus extraneorum, non hostium, bona, apud nos reperta, possunt occupari, quam civium; contra Heinecc. El. Iur. Nat. & Gent. L. II. §. 173.; quoniam in territorio simul cum impetio dominium occupatum est; uti recte statuit Grot. de I. B. ac P. L. II. C. 3. §. 4.

DCCXXXV.

Neque injustum est, angariare naves, hoc est, exterorum naves, in portibus suis reperitas, ad usum necessarium, aut utiliter valde, mercede nautis soluta, & dominis reparato damno, ab Imperante adhiberi: quamvis & hoc faciendum esse neget Heinecc. l. c.

DCCXXXVI.

Neque malum hic est, quidquid vel minimum abit a necessitate, ut judicat Grot. de I. B. ac P. L. II. C. 2. §. 10.

DCCXXXVII.

Nec tamen laudandus, aut excusandus Xenophon, ex Asia redux, naves transeuntes detinens, ad transvehendos milites, qui quoque terrestri potuerant itinere redire; nulla quippe necessitate coactus, nec Imperans in territorio. vid. Ipse de Exped. Cyri L. V. pr. Grot. l. c. & Hein. l. c. in schol.

DCCXXXVIII.

(165)

DCCXXXVIII.

Sed & jure suo is, qui justum bellum gerit, occupat locum, urbem, vel arcem in solo pacato; quem locum hostis alias occupatus erat. vid. Grot. l. c. & Hochstet-teri Colleg. Pufend. Exerc. V. §. 18. p. 261. dissentiente licet Bynkersh. Quæst. Jur. Publ. L. I. C. 25. §. 1.

DCCXXXIX.

Neque peccarunt Belgæ, non dimittentes ex arce Lieroortana, in Oost-Frisia, suos milites, gravissime licet reprehensi a Bynkersh. l. c.

DCCXL.

Quamvis omni modo luxus in civitate coercendus esse videatur, atque Imperantij jus competit, leges ferendi sumtuarias, raro tamen utiles haec futuræ, vel malo remedium efficax adlatuæ sunt.

DCCXLI.

Decorum est & utile populis, habere summos Imperantes bona, quibus se suamque familiam pro dignitate sua possint alere ac sustentare.

I. 3

DCCXLII.

DCCXLII.

Hinc Principi tribuenda sunt bona domania, sive fiscus: quem ab ærario, sive pecunia publica populi, distinctum esse oportet.

DCCXLIII.

Quaenam vero ad utrumque referenda sunt, statuere populus potest pro arbitrio.

DCCXLIV.

Confuetudinis igitur est, ac juris positivi, ut ad fiscum referantur ~~ad iuris positivi~~, & alia, quæ nominat Heinecc. El. I. N. & G. L. II. §. 175. 177. 178.

DCCXLV.

Domania sua princeps alienare non potest, nisi populo consentiente: hinc alienatio, in consilio populo facta, nullius est momenti, ac semper revocabilis: nisi rata habita, vel per præscriptionem firmata fuerit. vid. Sande Decis. L. III. tit. 4. def. 1.

DCCXLVI.

Non satis sibi constat Heineccius, dum & portoria aliaque vectigalia fisco relinquuntur, scribit l. c. §. 175. & marium, quæ territorium

rium adluunt, commoda, eidem tribuit, §.
177., & ærarium vectigalibus fere locupletari, statuit §. 179.

D C C X L V I I .

Princeps aut populus nullus integrum occupare potest Oceanum.

D C C X L V I I I .

Potest autem oceupari tanta maris pars, quanta possideri potest.

D C C X L I X .

Atque occupatio tribuit dominium: sed hoc, in mari, non diutius habetur, quam durat possessio.

D C C L .

Tribuit eadem jura dominium maris, quae nascuntur ex dominio & imperio regionis aliquus terrestris.

D C C L I .

Quicumque regionem occupat populus; ei jus est in mare suis litoribus proximum, quatenus illud e terra defendere potest.

DCCCLI.

Qui & quatenus maris dominus est, potest in eo liberam impedire navigationem ac plicationem aliorum:

DCCCLI.

Potest etiam vectigalia, quanta vult, exigere, eaque augere pro lubitu; & majora ab uno, quam altero, populo poscere,

DCCCLIV.

Potest etiam, tam ex dominio maris, quam ex jure defensionis, naves perquirere; mercesque, sibi nocituras, si ad hostem adferantur, tollere: non soluto pretio, si res fuerint, quæ tantum in bello usum habent; sed hoc soluto, & præstito, quod interest, si res etiam extra bellum usum habeant. Vid. Grot.
de I. B. ac R. L. III. C. 1. §. 5. n. 2. 3.

DCCLV.

Recte facient Imperantes, siquidem hæc omnia pactis & fœderibus accurate definiti: quæ quidem sancte servanda sunt: at tamen & exceptionem admittunt ex æquitate. vid. Grot. L. II. C. 14. §. 12. n. 4. & C. 17. §. 27.

DCCLVI.

DCCLVI.

Si navis hostilis vehat res non hostium; navis occupari potest, dominis merces restituendæ sunt.

DCCLVII.

Si res hostium amicæ gentis navi vehantur, eas occupare non licet, non magis quam ex amici rapere territorio: jurique naturali congruum esse videtur, ut, *libera navi, libera merces* sint.

DCCLVIII.

Res *contrabandæ* recte vocantur omnes illæ, quæ faciant, ~~ad hostes bellum diutius~~ fortiusque gerant.

DCCLIX.

Quænam ejusmodi sint, vix universæ definiiri potest; sed, nisi pactis descriptum fuerit, a capientis judicio pendet.

DCCLX.

Hinc illis & gladiorum vaginæ, & navium materia, & Tabacum, & vinum adustum aliquando contineri recte videntur.

(470)

DCCLXI.

Natura civitatis ac libertatis civilis haut
exigit, ut tributa civibus non imperentur,
neque ut rogentur cives, an, & quantum con-
ferre velint, ut existimat Locke *Essay on*
Government C. 2. §. 138. p. 236.

DCCLXII.

Sed non minus in bona, quam in vitam
subjectorum Imperanti jus est: ita ut pro im-
perio edicere possit, quantum a civibus con-
ferri velit ac solvi.

DCCLXIII.

Norma tamen in his atque aliis semper ca-
pienda est ex salute publica: quam si conti-
nue negligat Imperans, tyrannus habendus
est.

DCCLXIV.

Neque ergo cives onerandi sunt ultra id,
quod facere possunt: atque civibus, nimium
oneratis, jus est, hac de re Imperantem mo-
nendi.

DCCLXV.

Hoc casu, Imperans vel civium onera mi-
nuere, vel illis e civitate discedendi veniam
dare debet.

DCCLXVI.

DCCLXVI.

Magis interest civitatis, cives esse locupletes, quam siccum esse locupletissimum, quod vult Heinecc, El. I. N. & G. L. II. §. 274. & 278.

DCCLXVII.

In Systemate civitatum judicium de contributione necessaria penes partem majorem sociorum esse debet: ac socii, qui nimium oneratos esse se docent, onera levanda sunt, vel societatem relinquendi facultas est,

DCCLXVIII.

Vtilius est, vectigalia & contributiones colligi publico jussu, quam locari publicanis.

DCCLXIX.

Omnes in civitate magistratus & administris a principe constituendi sunt, vel probandi: & huic tenentur rationes reddere suorum confiliorum,

DCCLXX.

Minister civitatis, qui sua civitati consilium dedit non fraudulentum, ejusve suffragium ex mandato dedit, nullius delicti reus est,

**est, neque adeo poena debet obnoxius esse,
quamvis eventus haut respondeat consilio.**

D C C L X X I .

**Nulla fit injuria civibus, qui publicis mu-
neribus non adhibentur.**

D C C L X X I I .

**Vnum aliquem summum ministrum habe-
re licet regibus; nec tamē omnē imperii
cūram negligere.**

D C C L X X I I I .

**Idem jus Principi competit in personis &
rebus Ecclesiasticis, quod in sacerdotalibus.**

D C C L X X I V .

**Ecclesia externa est societas hominum eam-
dem de religione opinionem profitentium.**

D C C L X X V .

**Hujus tantum cura pertinet ad Imperan-
tem, in quantum ea cum salute civitatis con-
juncta est.**

D C C L X X VI .

**Hinc neque jus est Principi, jubendi, ut
certam doctrinæ formulam cives omnes pro-
fi-**

fiteantur: neque se miscendi doctrinis aut legibus Ecclesiasticis, quae nihil mutant in civitate.

DCCLXXVII.

Sed Principis est, curare, ut ea religio, quam ipse veram & utiliem esse credit, docetur: & hanc profitentibus privilegia quædam præ reliquis tribuere potest.

DCCLXXVIII.

Nisi tamen populus aliam religionem magis probet: hoc casu neque receptam religionem mutare, nec illi sua privilegia adimere potest: neque, si Princeps sacra mutat, mutanda tamen est Ecclesia publica.

DCCLXXIX.

Publicam Ecclesiam recte dicimus eam, cuius doctrinam ac ritus populus, hoc est, populi pars major, reliquis anteferenda esse iudicat: vulgo, minus recte, *dominans* appellatur.

DCCLXXX.

Huic Ecclesiæ publicæ privilegia quædam & honores concedi, quibus aliarum Ecclesiarum membra destituantur, nec injustum nec iniquum est.

DCCLXXXI.

D C C L X X X I .

Maxime civitatis interest, religionem cultari & honorari.

D C C L X X X I I .

Vtilissima est, etiam ad vitam civilem recte regendam, religio Christiana ; tantum abest, ut haec civitati noceat, aut civitas verorum Christianorum nulla esse possit, uti crediderunt Bailius & Russavus.

D C C L X X X I I I .

Athei tamen atque Theistae tolerandi quoque videntur in civitate; nec puniendi, neque pellendi; modo non noceant.

D C C L X X X I V .

Atheis enim bonus quoque, quamvis non optimus aut egregius, civis esse potest.

D C C L X X X V .

De superstitionis eadem vera sunt, quæ de Atheis, ita tamen, ut civitas Atheorum nulla videatur esse posse (§. 791.); superstitionis civitatem habere possint.

D C C L X X X V I .

Inepit queritur, utrum Atheismus superstitionis

stitioni sit antefatendus: attamen, si quid
hac de re dicendum est, Atheo meliorem ho-
minem ac civem esse superstitiofum credide-
rim: modo non adeo sit insana superstitione,
ut alia sentientibus fidem habendam esse ne-
get, eosque recte falli & occidi posse credam.

DCCLXXXVII.

Certas haberi doctrinæ formulas, quibus
diversa sentientes a fe discernantur invicem,
nec veritatis iuquisitioni, nec libertati, nec
caritati Christianæ nocet.

DCCLXXXVIII.

Sed semper ejusdem opinionis se fore, ne-
mo homo nec ~~civitas valide~~ premittere po-
test.

DCCLXXXIX.

Si quis opinionem mutaverit, hoc profi-
tendi libertatem habere debet.

DCCXC.

Si quis ea conditione munus aliquod acce-
perit, ac doctoris officium suscepit, ut
certæ cujusdam esset sententiae, hac mutata,
suo munere atque officio recte privatur.

DCCXCI.

DCCXCL.

Nullam atheorum civitatem esse posse (§. 785.), quamvis atheus bonus esse civis possit (§. 784.); ideo credimus, 1. quia non boni tantum, sed & egregii cives adesse debent in civitate. 2. quia civitas absque religione esse non potest: quippe cives athei vel sana ratione, vel metu pœnarum movendi sunt ad bonum commune promovendum, tam Imperantes ac magistratus, quam subiecti: sed neutrum vinculum satis efficax videtur ad tot atheos in officio continendos. 3. non adeo proni sunt homines in atheismum, ut tot reperiri vel sociari posse videantur atheisti, quot requiruntur ad civitatem constituendam. 4. nullum exemplum civitatis atheistæ vel existit, vel exsistit.

DCCXCI.

In quantum civitatis interest, religionem curari & honori (§. 781.); in tantum ejusdem interest, optimam & unice veram religionem Christianam Reformatam, quam Ecclesia Belgica profitetur, esse publicam, eamque conservare ac tueri.

DCCXCII.

Simil tantidem civitatis interest, veram philo-

philosophiam, moralem in prissis, excoli & in pretio haberi.

D C C X C I V:

Atque idem pretium statuendum est litteris humanioribus, hoc est, cognitioni linguarum orientalium; Græcæ, Latinæ, ac vernaculae, Rhetorices, Poëticas, & omnis antiquitatis, & historiæ.

D C C X C V:

Principis igitur est, curare, ut in his omnibus, & in omni jurisprudentia, doctores ad sint idonei; & cives invitentur præmiis & honoribus ad discendas litteras; adeoque scholas publicas & Academias erigere, diligenterque curare.

D C C X C V I:

Doctores Ecclesiastici, quamvis ab hominibus constituantur; recte tamen se divinitus esse missos & constitutos contendunt.

D C C X C V I I:

Idemque de Principibus, magistratibus, atque doctoribus artium ac scientiarum, legitime constitutis; quin de quolibet honesto bonoque cive, dici potest.

M

D C C X C V I I I:

(178)

DCCXC^EVIII.

Doctoribus Ecclesiasticis honos tantus debetur, quantus cuique civi, pro ratione mulieris, quod gerit in civitate: non major, quam doctoribus aliis, militibus, magistratis.

DCCXC^EIX.

Distincto vestimenti colore vel genere insignes esse doctores Ecclesiasticos, nec necesse, nec pravum est.

DCCC.

Hoc igitur, & alia similia, quæ meritis in fitibus haut absurdis, superstitionis, vel quieti publicæ noxiis, locis ac temporibus consistunt, recte referuntur ad adiaphora; in quibus Principi, qua tali, nullum jus competit.

DCCC I.

Doctores Ecclesiasticos constituere partim Principis est (§. 777.): partim ipsius Ecclesiæ, ex jure sibi, tamquam societati licitæ, competenti (§. 803.): partim a privatis loci cuiusdam dominis recte fieri potest, si qui *jus patronatus*, ut dici solet, habeant.

DCCC II.

Neque ergo minus legitime vocati certi-
fici-

fendi sunt, qui a domino quodam loci, vel ab Imperante, quam qui ab Ecclesia constituti sunt doctores ac sacrorum ministri.

D C C I I I .

Semper ecclesia quælibet particularis jus habet, doctorem sibi constituendi, qui vel nullo, vel ejus ecclesiæ, a qua constituitur, sumtu alatur:

D C C I V .

Sed si publico sumtu alitur, in imperantibus magistratum arbitrio est, utrum eum admittere velint an recusare.

D C C C V .

Nec tamen ei muneri administrationem & stipendia recte negabunt, si muneri idoneus ac bonus civis est.

D C C C V I .

In ecclesiis non publicis nullum judicium de habilitate doctoris ad munus recte sibi sumit imperans; hoc tamen merito inquirit, utrum suæ civitatis incola pacificus & utilis, an turbidus ac periculosus fore videatur: & hoc casu recte sua civitate ipsum prohibebit:

DCCCVII.

Ceterum nihil plus iuris Imperanti, quā tali, competit in ecclesia publicā, quam tolerata, regenda.

DCCCVIII.

Neque per suam naturam vel ecclesia, quā talis, imperio civili subjecta est (vid. §. 840.); vel civium honos ac dignitas ab eo loco pendet, quem in Ecclesia singuli tenent.

DCCCI X.

Poterit itaque publico munere fungi in civitate, qui non est socius Ecclesiae publicae: nisi leges civiles aliud jubeant.

DCCCX.

Sed recte plus juris Imperanti conceditur in ecclesia publica, cuius ipse socius est, quam in aliis, veluti judicium de loco & tempore conventuum; de ministrorum aetate, requisitis, examine; præsidium vel moderamen aliquod in ecclesiæ regimine; locus honoratior in aede sacra, & similia: quæ jus Collegiale imperantis circa sacra constituunt, & ex conventione, seu concessione nascuntur; dum ea, quæ Imperanti, quā tali, competit, ad Jus Majesticum circa sacra pertinent.

DCCCXI.

(181)

D C C C X I.

Quomodo cumquē regatur Ecclesia, per
inde est; dummodo recte regatur & ordine.

D C C C X I I.

Neque divinitus constitutus est ordo Epi-
scoporum, aut, qui his similes sunt, Super-
intendentium, neque prohibitus,

D C C C X I I I.

Illud autem ordini divino ac libertati Chri-
stianæ repugnat, ut unus aliquis Episcopus
omnibus imperet Christianis.

D C C C X I V.

Ordo Presbyterorum, a doctoribus distin-
ctorum, neque divinæ institutionis, & hinc
non necessarius; sed neque rejiciendus est,
ubi receptus est.

D C C C X V.

Nec reprobanda, sunt Collegia mixta ex
Ecclesiasticis & non Ecclesiasticis.

D C C C X VI.

Clericorum appellatio commode doctori-
bus, vel solis, vel una cum reliquis, ad Ec-

M 3

cle-

clesiae regimen ab ipsa lectis, tribui potest; & Laicorum nomine vocari possunt, quibus Ecclesiastica dignitas nulla competit: neque tamen hinc vel imperium aliquod priorum in posteriores derivari, vel negari debet Laicos, qui dicuntur, ad τοὺς κληρίους (1 Petr. V. 3) pertinere.

DCCCXVII.

Neque certa, primis rei Christianae temporibus, distinctio fuisse videtur ubique inter Episcopos & presbyteros; neque inter presbyteros docentes ac non docentes.

DCCCXVIII.

Pauperum curam ab Ecclesiasticis geriri neque necessarium est ubique & semper; neque improbandum.

DCCCXIX.

Multo minus necessarium est, diaconos etiam ecclesiam regere: neque etiam, eos ab omni regimine excludi.

DCCCXX.

Decimas fructuum partes Ecclesiasticis solvi nec necesse, nec prohibitum est per legem divinam: neque valida est argumentatio

tie Grotii (*de Iure B. ac P. L. I. C. i. §. 17. n. 4. fin.*), ex lege Hebreæ de decimis, obligari Christianos, ne minus fructuum decima, in alimenta eorum, qui in saeculis rebus operantur, aut similes pios usus, seponant.

D C C C X X I.

Res ecclesiasticas in consistoriis, Classibus, ac Synodis tractari decorum ac laudabile est; justum quoque, quando & ubi haec collegia recepta sunt.

D C C C X X I I .

Nec tamen eorum exempla, multo minus præcepta, in saeculis litteris occurunt.

D C C C X X I I I .

Multum enim a Synodo discrepabat conventus Apostolorum, Hierosolymis habitus, qui describitur Act. Apost. C. 15. vid. Cl. Venema Hist. Eccles. Tom. III. p. 220—222,

D C C C X X I V .

Ius examinandi probandique facri ministri candidatos ubi Classibus, quæ vocantur tributum est, haut recte peculiaris ecclesia sive Consistorium aliquod sibi vindicat.

M 4

D C C C X X V .

(184)

DCCCXXV.

Recte tamen huic & cura examinandi catechetas tribuitur, & jus examinandi candidatos ministerii Ecclesiastici mandari potest a Synodis.

DCCCXXVI.

Ius sacra reformandi, hoc est, & ad antiquam normam revocandi, quæ corrupta sunt, sive in doctrina, sive in regimine, & novam normam constituendi, summo Imperanti competit.

DCCCXXVII.

Neque hoc jure se abdicarunt ordines regionum singularum septemplicis Reipublicæ Belgicæ.

DCCCXXVIII.

His volentibus, etiam Romano-Catholici recipi possunt, ubi nondum fuerunt: nolentibus, non possunt.

DCCCXXIX.

Bona ecclesiastica, mutatis incolarum scitis, recte sibi administranda sumunt Imperantes.

DCCCXXX.

(185)

DCCCXXX.

His vendentibus, vel venditionem permittentibus, nihil obstat, quo minus & homines sacerdetales ea possideant absque conscientia scrupulis.

DCCCXXXI.

Interna & imperfecta est obligatio Principis ac populi cuiusque, tolerandi religiones omnes, quae nullum damnum civitati adferunt.

DCCCXXXII.

Neque ergo Judæos, qua tales, expellere licet.

DCCCXXXIII.

Sed licet diffidere Pontificiis illis, qui numquam refragandum esse credunt Pontifici.

DCCCXXXIV.

Meritoque Clerici Pontifici, maxime Jesuitæ, in Belgica morari prohibiti sunt aliquando: neque obstat Pacis Monaster. §. 4., quo minus haec prohibitio fieri vel continuari possit.

DCCCXXXV.

Valida quippe ratio Zelandorum est, in
M S Con-

(186)

Concilio extraordinario, A. 1651., proposi-
ta: „Papæ Romani subjectos expelli posse.”

DCCCXXXVI.

Neque ergo criminosi cives habiti fuisse,
vel haberi posse, videntur, ut existimavit
Ampliss. Bynkersh. Q. Jur. Publ. L. II. C.
20. p. 336., sed suspecti.

DCCCXXXVII.

Et recte nihilominus Hollandi pro suis
intercedere poterant Judæis apud Hispanos,
A. 1657., non ex illa scilicet caussa, ac si
imperium in imperio habeant, suspectis.

DCCCXXXVIII.

Neque vero per Pacis Monast. §. 4. obli-
gabantis Hispani, ut ex Hollandia venientes
Judæos apud se morari paterentur: quia, nem-
pe, §. illa pertinere non potuit ad cives,
qualibet de caussa, suspectos aut ejectos.

DCCCXXXIX.

Nihil necesse est, ut omnes Ecclesiae, ne
quidem Christianæ, pari jure, quod ad ex-
ercitium religionis, in civitate gaudeant,

peccXL

(187)

DCCCXL.

Neque enim religionis tutandæ , aut publice exercendæ causa civitates constitutæ sunt: (dissentit Cl. van der Marck Lection. Acad. Tom. II. Fasc. I. Lect. 1. & 2.): neque societas religiosa , qui talis, a civili , neque hæc ab illa pendet , ita ut neutra jus habeat imperandi alteri . vid. §. 808. & Warburton de divina legat. Mos. L. II. C. 5. p. 9. Vol. II. Ed. Belg.

DCCCXLI.

Eos , qui se vel Christianorum , vel certæ societatis inter Christianos legibus ac dogmatibus assentiri volle^m moribus vel sententia palam dicta , profitentur , a sacra communione recte arcentur in ea societate , cui antea fuerant adscripti.

DCCCXLII.

Sed mitius agendum cum his , qui uni vel alteri sententiæ non assentiantur ; ceterum se dociles præbent , & honestos , & in reliquis consentiunt.

DCCCXLIII.

Quinam vero tolerari possint focii , non in omni-

omnibus cum societate sentientes, ejus rei penes societatem arbitrium est.

D C C C X L I V .

Atque ita revera poterit usu venire, ut quærendum sit, non quid verum sit, sed quid Ecclesia particularis verum esse credat.

D C C C X L V .

Dum tamen nemini facultas adimenda vel neganda est, ut ipse inquirat in veritatem dogmatum receptorum: imo hæc uniuscujusque vera est obligatio.

D C C C X L V I .

Plures etiam diffensus & errores in socio vulgari, sive laïco, quam in Ecclesiæ doctore, vel eo, qui Ecclesiæ regendæ adhibetur, ferri possunt ac debent,

D C C C X L V I I .

Justum & honestum videtur, ab amicitia ac familiaritate sua segregare, tam homines hæreticos & schismaticos, quamvis ab Ecclesia non notatos, & nequid huic notos, qua tales; quam eos, qui tamquam ejusmodi notati sunt, etiamsi nobis tamquam tales haut innotuerint; postquam amice moniti se-
mel

(189)

inel & iterum nullam resipiscendi spem reli-
quam faciunt.

DCCCXLVIII.

Nec tamen abstinentum est ab omni amicitia & familiaritate cum alterius Ecclesiae sociis.

DCCCXLIX.

Excommunicationis Ecclesiasticæ civiles effectus, alicujus damno vel dedecori cedentes, quantum fieri potest, cavendi sunt.

DCCCL.

Vbi vero latæ sunt leges fundamentales, quæ a magistrate ~~ordine~~ ~~crossæ~~, præterquam Ecclesiae publicæ socios, has tueri stimulum Imperantem oportet.

DCCCLI.

Vtile quidem est, delegatos politicos interessè conventibus Ecclesiasticis : neque tamen illis, qua talibus, jus est suffragii feren- di, vel adsidendi, nisi vel lege aut more hoc illis competat, vel periculum sit, ne pacem publicam turbaturi sint Ecclesiastici.

DCCCLII.

Neque de incestu, neque de aliis caussis
ma-

Matrimonialibus, iisque de jurejurando, com-
petit Ecclesiasticis jurisdictione.

DCCCLII.

Quod si tamen conjuges pravis motibus
Ecclesiam turbant aut offendunt, recte pro-
pterea prohibentur a S. Coena.

DCCCLIV.

Nihilominus utile vel laudandum non est;
ubi conjuges ad tempus separantur, aut di-
vortio dirimuntur; ut utriusque semper, vel ad
tempus vel perpetuo, S. Coenæ usu inter-
dicatur.

DCCCLV.

Ecclesiasticam censuram rescindendi jus
nullum est Imperanti vel magistratui.

DCCCLVI.

Non alia nunc est indoles ac natura juris
Ecclesiastici, quam fuit, dum Ecclesia vive-
bat sub Imperantibus Ethniciis.

DCCCLVII.

Ecclesiæ doctores, qui publicis aluntur
stipendiis, si pœnam meruisse videantur Im-
peranti vel magistribus, honorario stipen-
diorve, partim vel omni, privari jure possunt.

DCCCLVIII.

DCCCLVIII.

Quemadmodum imperio se non licet abdicare, invita populo; neque magistratu, invito Imperante; ita neque munus Ecclesiasticum legitime ponitur, invitata Ecclesia.

DCCCLIX.

Ius Canonicum seu Pontificium Belgas non obligat, nisi quatenus moribus probatum ac receptum est.

DCCCLX.

Vtilis est tamen ejus cognitio, tam quia juris utriusque doctores creantur, ex Imperantis voluntate, ~~quoniam quis facit~~ ad intelligendam originem & historiam juris patrii; & in nonnullis usu tacitoque Imperantium consensu receptum est.

DCCCLXI.

Ius est Principi, scholas & Academias erigendi, normam docendi in illis praescribendi, ac silentium in controversiis inutilibus aut noxiis imperandi.

DCCCLXII.

Imperantis est, commercia & fabricas promovere, leges mercaturae salubres ferre, naviga-

vigationem innoxiam defendere, noxiā prohibere, monetam probam cūdere.

DCCCLXIII.

Bellum a Grotio de I. B. ac P. L. I. C. i. §. 2. n. 1. recte dicitur esse „status per „vim certantium, quā tales sunt.”

DCCCLXIV.

Non omne bellum interdictum est Christianis.

DCCCLXV.

Bellum decernere & indicere solius est Imperantis, non magistratum, quamvis his fuosque defendere debeant.

DCCCLXVI.

Imperans milites legerē ex civibus, vel conducere ab exteris, arces ac munitamenta struere ubicumque necessarium videtur, & hanc in rem privatorum agros adhibere, ac leges militares ferre potest.

DCCCLXVII.

Vita militaris, quando solius stipendii causa legitur, haut valde honesta est.

DCCCLXVIII.

(193)

DCCCLXVIII.

Nec tamen illa abstinentia est, quando
nostram operam patria desiderat, immo tunc
perfecte quilibet obligatus est ad militiam.

DCCCLXIX.

Quando patria nostro auxilio non indiget,
etiam alii principi vel populo, non iustum
bellum gerenti, locare licet operam.

DCCCLXX.

Neque peccat Imperans, qui suos milites,
quibus ipse non indiget, alii populo, justum
bellum gerenti, certa mercede locat.

DCCCLXXI.

Militem conducere licet in amicæ gentis
régione, nisi prohibeat Imperans ejus regio-
nis. vid. Bynkersh. Quæst. Iur. Publ. L. I.
C. 22.

DCCCLXXII.

Quia magistratus belli decernendi atque
inferendi jus non habet (§. 865), iustum
fuit a Cn. Manlio Gallogræcis illatum bel-
lum, apud Liv. L. XXXVIII. C. 45.

N

DCCCLXXIII.

DCCCLXXIII.

Perperam scribit Heineca. El. I. N. & G. L. II. §. 193. schol. „Notum est, parum abfuisse, quin Senatus Germanis deden- dum censeret Iulium Cæsarem, quod in- jussu populi illis bellum intulisset.” vid. Barb. ad Grot. de I. B. ac P. L. I. C. 3. §. 5. p. 4.

DCCCLXXIV.

Neque injustum fuit ab Iulio Cæsare bel- lum inlatum Ariovisto, quamvis ita censeant Grot. de I. B. ac P. L. III. C. 3. §. 10. & Büdd. in Spec. Iurisprud. Hist. §. 110. — vid. ipse Cæsar. de B. G. L. I. C. 35. & Cellar. Dissertat. P. II. diss. 6. §. 15. sq.

DCCCLXXV.

Nec tamen excusandus esse videtur Cæsar a perfidia in Germanos commissa, in eo bello, quod ipse descripsit, de Bello Gall. L. IV. C. 11—15. (vid. Dio Cass. L. XXXIX. pag. 113. Barb. ad Grot. L. I. C. 3. §. 5. n. 4. & Duk. ad Liv. Epit. L. CV.) & huc pertinet locus Suet. in Cæs. c. 24. ab Heineca. L. c. (§. 873.) adlatus.

DCCCLXXVI.

Non retege notatur a Grotio (de I. B. ac P. L.

P: L. I. C: g: §: §.. d: §:) Octavianus & Decimus Brutus; auctu privato arma capientes in Antonium, merito a Cicerone defensi; Philipp. III. C: 1 f. sqq. vid. Barb. ad Grot. l. I.

DCCCLXXVII.

Neque culpandi sunt praefecti provinciarum Indicarum, qui bellum inchoant, generali mandato instructi, pace belloque omnia agendi, quæcumque ex re mittentium esse videantur.

DCCCLXXVIII.

Vbi vero tale mandatum non est, conjectura voluntatis non sufficit. v. Grot. l. I. n. 3.

DCCCLXXIX.

Non omne singulare certamen, præterquam quod iussu suminorum imperantium initur, injustum: — neque otiosa est, aut veræ belli definitioni repugnat distinctio inter bellum publicum & privatum: nec male bellum civile belli nomine venit: contra Hein. necc. l. I. §. 194.

DCCCLXXX.

Quamquam interna justitia non improbet prælia condicta, belli sumendi causa; contra

N 2

Grot.

Grot. de I. B. ac P. L. III. C. 20. §. 43., plerumque tamen prudentiae repugnant, vid. Hein. l. l. in schol.: & turpis temeritas potius, quam laudanda virtus est, quando certus utrimque militum numerus committitur, explorandae fortitudinis caussa: quemadmodum olim factum fuit, (II. Sam. C. 2. §. 14—61.); & An. 1600., ad Silvam Ducis, inter Breautæum & Lekkerbetium. vid. Grot. Hist. L. IX. p. 383. & Heinsl. de Reb. ad Silv. Duc. gest. p. 50. sqq.

DCCCLXXXI.

Bellum justum recte dicitur utrumque, quod inter duo populos liberos vel Imperantes utrumque geritur, quamvis interna justitia parti alterutri vel utriusque deficiat.

DCCCLXXXII.

Etenim secundum internam justitiam dari potest bellum utrumque injustum; fieri non potest, ut utrumque bellum sit justum.

DCCCLXXXIII.

Caussa justa belli gerendi fola est injuria.

DCCCLXXXIV.

Hæc recte spectatur vel uti nondum illata,
vel

(197)

vel uti jam facta: & haec, vel ut reparanda,
vel ut punienda: recteque ergo Grotius (de
I. B. ac P. L. II. C. I. §. 2. n. 1. 2.)
tres statuit justi belli caussas, defensionem,
reparationem, & punitionem.

DCCCLXXXV.

Tolerari quoque potest distinctio bellorum
inchoatorum ac susceptorum, quæ vulgo di-
cuntur offensiva & defensiva: quamvis exi-
guæ sit utilitatis.

DCCCLXXXVI.

Recte enim, alio sensu, dicitur, omne
bellum justum esse defensivum. vid.
Hollmann. prim. lin. Iurisprud. Nat. §. 185.

DCCCLXXXVII.

Neque enim omne bellum offensivum est
a parte eius, qui primus vim infert.

DCCCLXXXVIII.

Ad ea facta punienda, quæ quidem lege
naturæ vel divina voluntaria prohibentur,
nec tamen quemquam lædunt, bellum infe-
rendum non est.

N 3 DCCCLXXXIX.

((198))

DCCCXXXIX.

Neque ergo propter falsam religionem, humana sacrificia, mores barbaros; neque propter officia imperfecta denegata, veluti negatum hominibus aut exercitui transitum, bellum inferendum est. Conf. §. 293 — 296.

DCCCXC.

Sed bellum punitivum, quod dicitur, tum demum locum habere iuste potest, quando securitas nostra vel aliorum exigit, ut caveatur de laesione in posterum non inferenda.

DCCCXCI.

Bellum ab Israëlitis contra Amoræos gestum, secundum Mosem Hist. L. IV. C. 21. §. 21 — 23., non fuit ob negatum transi-
tam, sed sui defendendi caussa. Conf. Hist. Iudic. C. 11. §. 14 — 22. Perperam igitur Heinæc. Ely. I. N. & G. L. II. §. 196.
schol.

DCCCXCII.

Belli ab Israëlitis in Cananæos Transjorda-
nenses gesti iusta caussa fuit speciale manda-
tum divinum (vid. Grot. de I. B. ac P. L. I.
C. 2. §. 2. n. 1.); atque ex eo satis constat
de his bellis iustitia, neque aliter haec de-
fendit.

fendi potest, neque exemplum aliis præbere
populis, inferendi bellum pœnæ caussa, man-
dato ejusmodi divino destitutis.

DCCCXCIII.

Neque sufficiens esse caussa videtur in ju-
re Nomadum, quod existimat Illustr. Michæ-
lis.

DCCCXCIV.

Recte quoque pro aliis bellum suscipitur,
non tantum pro sociis ac foederatis, atque
vicinis, quando constat, eorum ruinis & nos
oppressum iri, secundum Heinecc. I. c. §.
197., ~~sed & pro quibusvis,~~ injuste invasis.

DCCCXCV.

Neque justa fuit expeditionum, quæ cru-
ciatae vocantur, suscipiendarum caussa, ne-
que Hispanorum, Americanis arma inferen-
tium: falliturque & fallit Heinecc. I. l. §.
198. schol., Hispanorum sententiæ patroci-
niunt suscipere scribens Grotium de I. B. ac
P. L. II. C. 20. §. 40. sq.

DCCCXCVI.

Ad bellum justum haut requiritur indicio
solemnis.

N 4 DCCCXCVII.

(200)

DCCCXCVII.

In bello dolis ac strategematis uti licet,

DCCCXCVIII.

Hosti data fides sancte semper servanda
est.

DCCCXCIX.

Venenis in bello non est utendum: quia,
quantum fieri potest humanitatis ratio haben-
da est: & quod quis in alium statuit, id ipse
metuere debet.

CM.

Ob eamdem rationem neque percussores
immittendi sunt.

CMI.

Iuri tamen perfecto, sive Iuri Naturæ proprie-
dicto, non repugnat in bello neque usus ve-
neni, vel armorum veneno infectorum; ne-
que percussorum inmissio; neque fontium
obturatio, aut fluviorum injecto stercore fa-
cta corruptio.

CMII.

Neque factum Ehudis, percutientis Eglo-
nem,

nem; quod refertur in Historia Iudicum Hebraeor. C. 3. §. 15. seqq. (Conf. §. 635.) neque Iaëlis, Siseram occidentis, ibid. C. 4. §. 17. seqq.; neque dolus Husaï, Archite, amici Davidis, in Absalomum, Samuel. L. II. C. 16. §. 16. seqq., defendi posse videtur, nisi mandatum divinum speciale sic facere jussérunt.

CMIII.

Perperam adulatioñis ac ludibrii nomine traducuntur humanitatis & magni animi specimina, inter hostes aliquando edita, quæ refert & reprehendit Bynkersh. Quæst. Jur. Publ. L. I. C. 3. p. 17., & ex eo Hein. El. I. N. & G. L. II. §. 202. ~~refertur~~

CMIV.

Neque culpanda Popilii, Legati Romani, erga Antiochum regem asperitas, quam refert Liv. L. XLV. C. 12.

CMV.

Ne perfido quidem hosti data fides frangenda est in pacto vel fœdere post perfidiam inito.

CMVI.

Si tamen alter perfide pactum fœdus ve
N 5 pe,

perit, nulla necessitas illud servandi paciscon-
tem alterum obligat.

CMVII.

Induciae pertinent ad tempus belli, non
pacis.

CMVIII.

Induciis specialibus constitutis ad certum
actum, veluti ad sepeliendos in acie caesos,
nihil aliud, praeter hunc actum interim face-
re licet: quod si quid aliud fiat, ut si mun-
imenta reparentur, hosti jus est, illud prohi-
bendi.

CMIX.

Ius belli locum non habet adversus ami-
cos: nihilo minus aliquando licet occupare
locum amici, quem alioquin hostis oculpa-
turus esset, vid. §. 738.

CMX.

Sed intra territorium populi amici & pa-
cifici naues aut res hostiles occupare, nullo mo-
do licitum est.

CMXI.

Egregium est ac laudabile Camilli factum,
pue-

pueros Faliscorum, sibi proditos, non reci-
pientis, sed in urbem remittentis, apud Liv.
L. V. C. 27. junct. Flor. L. I. C. 12. §. 5.
6. Anthol. Lat. L. II. Epigr. 267. p. 452.
Tom. I. & Drakenb. ad Liv. L. XLII. C.
47. §. 6.

CMXII.

Vt & C. Fabricii, qui sive perfugam, si-
ve medicum, se Pyrrhi regis necem veneno
procuraturum pollicentem, ad Pyrrhum re-
duci, & hunc de periculo moneri curavit.
vid. Cic. de Off. L. III. C. 22. A. Gell, Noct.
Att. L. III. C. 8. & Freinsh. Suppl. Liv. L.
XIII. C. 44. 45.

CMXIII.

Neque honeste vel unus, vel alter his in-
casibus opera sibi oblata usurpus fuisset. Ne-
que adeo vera est Grotii sententia, de I. B.
ac P. L. III. C. 1. §. 22. coll. C. 4. §. 18.
n. 4.

CMXIV.

Transfugas recipere, & hostium subjectos
ad defectionem sollicitare licet.

CMXV.

Perfidiam vero neque ullam committere,
neque hostium subjectos ad eam sollicitare,
pe-

neque perfida eorum opera uti honestum est.
neque tamen hoc injustum recte dicitur.

CMXVI.

Hinc judicari potest de facto Syracæ, apud Polyæn. L. VII. C. 11. §. 6., de perfidia Zopyri, apud Herodot. L. III. C. 154—158. Iustin. L. I. C. ult. & Polyæn. L. VII. C. 12. vid. Grot. L. III. C. 24. §. 2., & de simili Tarquinii Superbi, ejusque filii, Sexti, fraude, apud Dion. Hal. L. IV. p. 254. Ovid. Fast. L. II. vs. 690. sqq, & Flor. L. I. C. 7. §. 6. 7.

CMXVII.

In C. Mucii facinore, apud Liv. L. II. C. 12., nihil vitii habet tentata Porfena regis cædes: sed si, *quasi remunerans meritum liberationis*, falso nuncio regem terrere conatus est, turpiter fecit; ac stulte, si dextram accenso foçulo injectam torruit & exusit; cui narrationi fidem non adhibent Barth, ad Claudian. IV. Conf. Hon, vs. 407., Clericus ad Liv. l. c., & Cl. Arntzen. ad Arnaldii yitas Scævol. p. 9. sq.

CMXVIII.

Neque excusanda videtur a perfidia virgo Clælia, neque laudanda, quod obfes data redierit in patriam, apud Liv. L. II. C. 13. p. 10.

neque enim obsidi fuga se subducere licet vid.
Budd. Spec. Iurispr. hist. §. 54 — 57. in
Selectis I. N. & G. p. 825. sqq.

CMXIX.

Perfide quoque Camillus Dictator Gallos
Senones auro, quod ex pacto debebatur, pri-
vavit, ipsosque cecidit, apud Liv. L. V. C.
49. vid. Budd. l. c. §. 86. & Barn. ad Grot.
L. II. C. 15. §. 3. n. 2.

CMXX.

M. Atilium Regulum haut culpaverim, dum
captivorum Carthaginensium redditionem uti-
lem esse negavit in Senatu, sed Carthaginem
rediens, ex officio recit ~~perfecto~~. vid. Cic. de
Off. L. I. C. 13. III. C. 27 — 29. Seneca de
Provid. C. 3. & Grot. L. III. C. 23. §. 6. Turpi-
ter vero Carthaginenses egerunt, si exquisitis
hominem suppliciis necaverunt, quod factum
fuisse negavit Palmer. Exercitatt. p. 151.
sqq. Conf. Budd. l. c. §. 64 — 67.

CMXXI.

Quamvis haut pateat, vulgari narratio*n*i,
quam Thuanus secutus est, Hist. L. IV. p. m.
81. & L. XLI. p. 831. ac si Philippus,
Hassiae Landgravius, An. 1547., improba-
tio Granvellani, Episcopi Atrebaten*s*is, ini*us*
lit.

*litterula inversa forma deceptus, captivus detentus esset, fidem adhibendam esse; neque adeo perfidia possit incusari vel convinci Carolus V. Imperator; non tamen omnis a persuasione Philippi, ejusque sponsorum, Mauritii Saxonis, & Joachimi, Electoris Brandenburgici, dolus afluuisse videtur: qui dolus, ex rei gestae natura, abesse debuisset. (vid. Periz. Hist. fæc. XVI. p. 737. sq. Mallet, *Histoire de Hesse*, Tom. II. p. 267—287. & Haerberlin, *Neueste Deutsche Reichs Geschichte*, Vol. I. p. 196—204.)*

CMXXII.

Populi, qui neutras in bello partes sequuntur, eodem modo se gerere debent erga belligerantem utrumque: nisi hostes haberi ventint, & hostilia pati.

CMXXIII.

Vicissim belligerantes eodem modo erga omnes populos medios gerere se debent.

DCCCXXIV.

Neque populi jure coguntur omni abstinerere commercio cum utroque vel alterutro belligerante nec necessarium est, ut commercium quodlibet, alterutri belligeranti valde nociturum, illis permittatur. Conf. 754—760.

CMXXV.

(207)

CMXXV.

Servitus hominum bello captorum iuri Naturae non repugnat.

CMXXVI.

Quando tamen, absque periculo capientis, aliter custodiri possunt captivi, ac libertas illis relinqui potest; in servitutem redigendi non sunt.

CMXXVII.

Res bello captæ, sive mobiles, sive immobiles, adquiruntur capiendo: dominiumque mutant, mox postquam ita detinentur, ut a captiis defendi possint.

CMXXVIII.

Neque ergo necesse est, ut res mobiles intra praesidia deductæ fuerint: agri mansuris munitionibus inclusi sint: navesque per horas viginti quatuor in capientiam potestate fuerint.

CMXXIX.

Sed, etiam si haec desint, nihil inde res captæ possunt a capientibus alienari & receptæ postliminii jure redempti ad dominos pristinos.

CMXXX.

CMXXX.

Non minus res sacræ, quæ dicuntur, ac religiosæ, quam quæ sunt publici privatique juris aliae, in bello jure possunt occupari, promiscuis usibus adhiberi, & vastari.

CMXXXI.

Postliminium non minus debetur populis ab hoste superatis, ac deinde sive recuperatis, sive relictis, quam hominibus ac rebus singulis.

CMXXXII.

Dura ergo & iniqua fuit conditio, quæ tres regiones Belgicæ, a Gallo superatae relictæque, non nisi bona privilegiorum parte multatæ, in commune fœdus receptæ sunt,
An. 1674.

CMXXXIII.

Dum vero consensus in hanc conditionem interpositus est, & quisque juri suo renunciare potest, ne quid sibi gravius accidat, ratum hoc pactum haberi oportet, neque rescindendum est, eo colore, ac si vi extortum fuisset.

CMXXXIV.

Bellum & pro aliо, injuste invaso, sive ejus liberandi, sive adjuvandi causa, pie & justè

juste suscipitur: etiam ad alienos subjectos, injuria pressos, tyrannde liberandos.

CM XXXV.

Repressaliæ non ex jure gentium consuetudinario derivandæ, sed secundum ipsam populorum naturam justæ sunt.

CM XXXVI.

Hæ non nisi ab Imperante summò conce-dendæ sunt.

CM XXXVII.

Neque pro suis tantum, sed & pro alienis subjectis ~~eras recte concedet Imperans.~~

CM XXXVIII.

Imperium in viatos bello propriè non ad-quiritur, sed tantum pace bellum subsecuta.

CM XXXIX.

Quamdiu enim pax nulla intercessit, sed sola vi retinetur imperium, in libertatem se victi vindicare semper ac restituere poterunt, vel ab aliis liberari ac restitui.

CM XL.

Si qua regio vel urbs ad hostes defecerit,
O ea-

eaque recuperetur vi bellica, hanc nihil necesse est, in jus pristinum restitui, sed ea, tamquam devicta, duriori lege potest accipi, & instar provinciae haberi.

C M X L I .

Foedus inaequale non semper imminuit summuim imperium ejus, qui signa quædam honoris promittit alteri. vid. l. 7. §. 1. de Captiv. & postl. revers. & Grot. de I. B. ac P. L. I. C. 3. §. 21.

C M X L I I .

Neque ergo majestatem populi minuit obligatio, naves alterius populi, in mari obvias, salutandi.

C M X L I I I .

Minuit autem majestatem ademta facultas bellum gerendi, qua privati fuisse videntur Hebrei non numquam a Philistæis, 1 Sam. C. 13. §. 19., & Romani a Porfena, cuius foedere comprehensum erat, *ne ferro, nisi in agricultura, uterentur*, referente Plinio Hist. Nat. L. XXXIV. C. 14.

C M X L I V .

Foedera commercii causia, & de jure hospitiu inita, si nihil addant humanitati, quam na-

natura jubet observari in societate humana, mutant obligationem imperfectam in perfectam : adeoque semper juri naturali aliquid addunt.

C M X L V .

Foederum primæ lineæ , duc̄tæ vel ab una gente libera , vel a paucis ex ejusmodi gente , cum altera gente , quæ pro libertate bellum gerit , duc̄tæque eum in casum , quo posterior hæc libera futura erit , neminem lœdunt , neque justam belli caussam præbent imperanti gentis , arma contra principem gerentis .

C M X L V I .

Imo , neque ~~necessaria~~ belli caussa est , si qua gens libera cum populo rebelli jungat amicitiam , eique polliceatur auxilia : — scilicet , ita , quæ mittuntur auxilia , debellari possunt atque intercipi , absque eo , ut inter gentem , auxilia ferentem , & eam , contra quam præstantur , bellum universale nascatur in omnibus orbis terrarum regionibus .

C M X L V I I .

Sponsores pacis haut obligantur ad ineundam belli societatem , si pax rumpitur ex alia caussa , quam quæ foederi , cui accesserunt , inest . v. Hein . El . I . N . & G . L . II . § . 209. schol .

(212)

C M X L V I I I .

Vtilitatem præstare possunt foedera de præsidiiis nostris in munimenta quædam vicinæ gentis mittendis, tuendorum finium caussa.
Hein. l. c.

C M X L I X .

Quamquam foedera de jungendis contra communem hostem viribus, tam ejus adoriendi, quam contra eum se tuendi caussa, justa possint & utilia esse; nihilominus injusta sunt, neque prudentiae congrua, foedera de iisdem semper hostibus & amicis habendis.

C M L .

Induciae in certos annos, menses, dies, horasve initæ, non minus temporis articulum, ad quem constitutæ sunt, quam a quo inchoandæ, continent. v. Hein. l. c. §. 240. schol.

C M L I .

Bello inter duo populos orto, licet aliis populis, neutri præ altero favere: suam hanc conditionem armis tueri: & ad hanc defensionem arma jungere ac societatem inire cum aliis populis neutrarum partium.

C M L I I .

(213)

CMLII.

Itaque nulla caussa justa est populo belligeranti, propterea bellum inferendi populo neutras partes eligenti.

CMLIII.

Foedera , quamvis mutata reip. forma , firma manent: atque ab Rege inita , populo deinde libero profunt , ac nocent; a populo vel optimatibus inita , servanda sunt etiam ab Rege.

CMLIV.

Igitur & foedera , cum Sabinis & Hernicis inita sub Regibus Romanis , populo Romano libero servanda fuerunt (vid. Dion. Halic. L. V. p. 307. & L. VIII. p. 531.) & foedus ictum a Philippo Pulchro cum Henrico VII., Angliae Rege , An. 1496., & a Carolo V. cum Christiano III., Daniæ Rege , An. 1544. initum prodeesse debuit Hollandis , Comite abdicato. vid. Bynkersh. Quest. Iur. Publ. L. II. C. 25. §. 1.

CMLV.

Quin & si tyrannus , quem pepulus toleravit aut probavit, foedus init, hoc si sibi prodeesse velit populus , ipse quoque servare debbit.

O 3

CMLVI.

CMLVI.

Quando sociorum mentio facta sicut in foedere, praesentes tantum intelligendi videntur, non etiam futuri, cum Grotio de I. B. ac P. L. II. C. 16. §. 13., non tamen ideo, quia rumpendi foederis odiosa materia est; sed quia simplex interpretandi ratio censere jubet, de his tantum a pacifcentibus cogitatum fuisse. conf. Heinecc. El. I. N. & G. L. II. §. 212.

CMLVII.

Neque tamen ab hac quaestione pendet iustitia belli Punici secundi; sed potius ab ea, utrum juste an injuste Karthaginienses adorti sint Saguntinos.

CMLVIII.

Nihil quidem necesse est, ut Imperans ratam habeat sponsionem a belli duce factam: attamen eam si probare nolit, neque ex ea lucrum facere debet; neque defungi potest, dedendo sponsorem hostibus.

CMLIX.

Itaque Romani a perfidia & cavillatione excusari non possunt, dum irritas habuerunt sponsiones Caudinam ac Numantinam; & tamen exercitum salvum receperunt.

CMLX.

(215)

CMLX.

Nihil vitii habent foedera cum diversæ religionis, quam falsam credimus, populis initia.

CMLXI.

Quidquid foedere promissum est, sancte præstandum est: nisi præstatio promissi certam præstantis perniciem, quæ prævideri non potuit, quando promissio fiebat, involveret.

CMLXII.

Pax omnis pérpetua esse debet, amnestian continere, nec prætextu læsionis enormis, vel ~~coactus adhibiti, quamvis~~ ~~injusti,~~ resendi vel rumpi.

CMLXIII.

Etiam illa, quæ bello civili finem impo-
suit, pax sancte servanda cum subjectis, qui
rebelles fuisse dicuntur.

CMLXIV.

Validum fuit pactum a Maximiliano, quamvis captivo, cum Brugensibus initum, ac soleanni jurejurando firmatum, apud Pont. Heuter. Rer. Belg. L. III. p. m. 152. sq., quamvis dissentiat Heinecc. El. I. N. & G. L. II. 220. schol.

O 4

CMLXV.

(216)

CMLXV.

Validum quoque fuit pactum Madritense, cum Carolo V. initum a Franciscō I., in quantum ea Franciscus promisit, quæ præstare poterat.

CMLXVI.

Et hactenus valet principis captivi promissio: sed neque principis, neque ducis captivi promissio subjectos aut milites, quibus præpositus est, obligat.

CMLXVII.

Quamquam mediatores uni parti præ altera favere non debeant impensius, ex pacto tamen nullo obligantur. Dissentit Hein. l. c. §. 221.

CMLXVIII.

Sponsores pacis ex pacto obligati sunt ad efficiendum, ut pax rata firmaque maneat; adeoque foedifragum & amice monere, & vicogere debent, ut læsionem contra foedus factam reparet.

CMLXIX.

Rescriptum Commodi Imperatoris, in l. 31. D. de Iure Fisci (L. XLIX, t. 14.) ob-

sidum bona in fiscum esse cogenda, jubentis, quamvis optime conveniat analogiaj iuris Romani, ut, contra Burmann. de Vectigalib. Pop. Rom. C. XI. p. 185., recte docuit Wieling Lect. Iur. Civ. L. II. C. 32. p. 272. sq. & in Omiss. p. 286.; juri tamen naturæ gentiumque non congruit.

CMLXX.

Obside mortuo, dandus est alius. — Occidi non numquam obsides possunt, si pactum perfide ruptum est, cuius servandi ergo dati fuerant.

CMLXXI.

Recte scribit ~~Bynkershoek~~ (Quest. Jur. Publ. L. II. C. 3. pag. 206.): „ Simpliciter ego non ausim dicere, ut sunt qui dicunt, neminem recte Legatos mittere, nisi qui Summum Imperium habet. — „ Dixerim potius, omnes recte Legatos mittere ejus rei ergo, cuius agendæ potestatem habent. rel.”

CMLXXII.

Hinc populus rebellis, ad alium populum legatos mittere potest: sed utrum, & quae dignitate, recipiendi sint, ad arbitrium ejus, ad quem missi sunt, pertinet.

CMLXXIII.

Si constet, populum non esse rebellem,
sed justum bellum gerere contra Imperantem,
a quo vi injusta premitur; eum adjuvare,
ejusque Legatos admittere, fas & laudandum
est: uti Belgarum Legatos perhumaniter ex-
cepit A. 1585. Henricus III., Francorum
Rex, referente Thuano Hist. L. XXXI.
p. 7. T. III. & Hooft Hist. Belg. L. XXII.
p. m. 62. sq.

CMLXXIV.

Legatos esse sanctos, & ab ejus, ad quem
missi sunt, jurisdictione exemptos, non minus
jurē naturae, quam gentium moribus, consti-
tutum est.

CMLXXV.

Hinc ob violatos legatos bellum juste in-
fertur, illatumque fuit a Davide Chanuni,
Regi Hammonitarum, II. Sam. C. 10.

CMLXXVI.

Ius legatorum violatum non fuit a Philip-
po II., Hispaniae Rege, Belgarum respectu,
dum missos ad se, A. 1566., Florentium
Montigniacum, & Iohannem Marchionem
Bergarum, detinuit & occidit: tyrannice
men egit.

CMLXXVII.

CMLXXVII.

Legatus , hostilem animum monstrans ,
vel finibus egredi recte jubetur , vel etiam ,
si quid delicti gravioris commisit , detineri;
& , nisi poenam a se irtogatum iri Princeps
ejus promittat , puniri potest .

CMLXXVIII.

Vtrum legatus , & quis , sit admittendus ,
ab arbitrio pendet ejus , ad quem mittitur .

CMLXXIX.

Honos vero major minorve Legatis haben-
dus est ; ~~partim pro conditione~~ mittentis ;
partim pro mandato , quo instructus est ; ac
titulo , quo honoratur .

CMLXXX.

Legatorum uxori , liberis , ac domesticis
securitas & executio ab jurisdictione Princi-
pis , apud quem degunt , debetur : non au-
tem inmunitas , neque jus asyli Legatorum
ædibus .

CMLXXXI.

Dum omnis civitas pacto coalescit , five
expresso , five tacito ; cives ex pacto , adeo
que perfecto jure , obligati sunt ad ea omnia ,
quibus civitas esse salva non potest .

CMLXXXII.

(220)

CMLXXXII.

Itaque civis officium est, civitatem amare, salutem ejus omni alii desiderio & amori, parentum etiam, uxoris, liberorum, propinquorum, divitiarum, suæque vitæ anteponere.

CMLXXXIII.

Qui secus fecerit, perfidus, ingratus, & impius est.

CMLXXXIV.

Hæc civitas cuique patria est, cui nomen dedit, id est, in quam adscribi se passus est, & in qua suarum fortunarum familiaeque sedem collocavit.

CMLXXXV.

Amor patriæ sincerus *et* jubet, ut eorum commoda curentur, qui nostra cum civitate foedere juncti sunt; *et* optime consistit cum universi generis humani, hostium quoque, amore.

CMLXXXVI.

Amor patriæ *et* in sacris Litteris commendatur, Pf. CXXII. 6. Prov. XXIV. 21, 22. Jerem. XXIX. 7. & exemplo Christi, Luc. XIX. 41. sqq., & comminatione, Apoc. II.

52

5., et prudenter Apostoli non amplis verbis eum laudarunt.

CMLXXXVII.

Boni civis est, præsentem reip. statum tueri, eumque mutatum nolle: nisi status reip. vitiosus sit, & in melius mutari posse videatur.

CMLXXXVIII.

Hinc & Imperantibus ac magistratibus homines habendus: & ab omni tamen adulatione abstinentur: & præsens reip. status a civibus, quantum potest, cognoscendus est.

CMLXXXIX.

Honoris titulum, quemcumque velit, Imperanti suo populus tribuere potest: nec tamen alterum populum aut principem cogere, ut hunc agnoscat.

CMXC.

Recte præcipit Loccenius (ad Corn. Nepot. Vit. Conon. C. 3. §. 4. p. 255. edit. Staveren.): „ Evidem legatus, aut alias vir gravis, ita ceremoniarum & alieni principis aut Reipub. dignitatis observans erit, ne quid suo Principe aut Republ. indignum admittat.”

CMXCI.

(222)

CMXCI.

Falsum est Montesquievi decretum, in despoticis imperiis, metum; in regnis, honorem; in rebus publicis aliis, virtutem politicam, sive studium æqualitatis, primariam agendi caussam statuentis.

CMXCII.

Etenim, in omni civitate, non vitiosa, felicitas publica, sive salus civitatis, suprema lex est. vid. Cl. Pestel in Fundam. Iurisprud. Nat. §. 333.

CMXCIII.

Curandum quidem est, ut omnes, qui muneribus adhibentur, illis idonei sint: neque tamen *vel* dubitandum est temere, dignusne sit, quem princeps elegerit (vid. l. 3. Cod. de Crim. sacrileg. L. IX. t. 29.): *vel* civis, non indignus, jus proprium habet ad officium aliquod. vid. Grot. de I. B. ac P. L. II. C. 17. §. 3., & supra, §. 771.

CMXCIV.

Civitati cuilibet, quæ sui juris est, hæc potestas competit, ut civem quemlibet, quem periculorum esse judicat, civitate pellere possit, etiam non redditis caussis: eaque & Tra-
jecti-

jectinis magistratibus competere videtur, ex agnitione formulæ, apud Aitzema Hist. L. XXV. ad An. 1645. T. VI. p. 139.

C MXCV.

Itaque defendi potest ab iniuitate judicium ostracismi, quod Athenis locum habuit. v. Hein. El. I. N. & G. L. II. §. 277. schol.

C MXCVI.

Cives esse desinunt, qui civitate pulsi sunt, in tantum, ut ad amorem & officia civitati suæ exhibenda cogi non possint; laudandi tamen sint, si neque tum patriæ, quamvis ingratæ, ~~deponant amorem~~.

C MXCVII.

Civitas regulariter immortalis est; fieri tamen potest, ut intereat: v. Grot. de I. B. ac P. L. II. C. 9. §. 3 — 6., quo facto, cives esse desinunt, qui tales antea fuerunt.

C MXCVIII.

Mutata civitatis formâ, non mutantur obligationes & officia civium.

C MXCIX.

In coloniis videndum est, qua juris formula

la mittantur: hinc aliquando coloni liberam
habent civitatem, ut olim a Græcis dimissi:
aliquando non habent, ut a Romanis missi,
& qui nunc in Asia, Africa, & America sunt,
atque ex Europa migrarunt, hac lege, ut ci-
vitis suæ cives manerent.

M.

Civibus egredi civitate, neque ad tempus,
neque in perpetuum licet, nisi venia expres-
se vel tacite concedatur ab Imperante: huic
ergo licet, *et* interdicere civibus emigratio-
nem; *et* eam non nisi certa sub lege, velut
relicta bonorum parte, concedere. Sed his,
qui in aliqua civitate nati sunt, postquam ado-
leverint, integrum esse debet, egredi civi-
tate, vel in ea manere.





Digitized by Google

